



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

Liber CXLV.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)



Julius III. Diploma pro convocanda Synodo promulgat.

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CXLV.



PAULUS III. ROM. PONT.  
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. XCIX.

*Trevirensis Synodus Provincialis.*

Occurrit tertia adhuc Provincialis Sæcul. XIV.  
Synodus, quæ a Joanne de Ifem- A.C. 1549.  
burg Electore, ac Trevirensi Ar-  
chiepiscopo ad diem decimam tertiam Labbe Coll.  
Maji indicta hoc anno celebrata fuit, ac Conc. tom. 14  
p. 705. & seq.  
*Hist. Eccles. Tom. XL.* A ceden-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.  
 cedentibus Tullensi, Metensi, ac Viro-  
 dunensi Episcopis ejusdem Suffraganeis,  
 ac universo Trevirensis Ecclesiæ Me-  
 tropolitanæ Capitulo: Congregatis igitur  
 omnibus præprimis Archiepiscopus  
 hæc exposuit: *Orthodoxorum Patrum,*  
*Et Prædecessorum nostrorum vestigiis inhæ-*  
*rentes, sinceroque corde semper exoptantes,*  
*ut universum Clerum, Et gregem nobis com-*  
*missum pura, ac sana Evangelicæ veritatis*  
*doctrina pascamus, Et reficiamus, hinc de*  
*consilio Capituli nostri consentientibus etiam*  
*nostrorum Suffraganeorum Procuratoribus*  
*Collegas nostros, nostrumque Clerum con-*  
*gregavimus, ut antiqua statuta innovemus,*  
*atque ea nova in usum deducamus, quæ in*  
*præsenti Concilio pro temporum, ac rerum*  
*necessitate condemus, utpote summe necessa-*  
*ria, pro hujus ævi iniquitate, ubi hæresis,*  
*Et impietas in morem hydræ identidem ena-*  
*scitur, seque latius ubique diffundit.*

Post hæc Concilium hujus Diœcesis  
 calamitates fusius enarrans, viginti ar-  
 ticulos exponit, qui omnes morum e-  
 mendationem respiciunt, excepto pri-  
 mo, ubi de fide Orthodoxa fideliter, ac  
 firmiter tenenda agit, ac præcipit, ut o-  
 mnes, Et singuli non solum adhæreant his,  
 quæ in divinorum eloquiorum canone ex-  
 pressa sunt, verum etiam his, quæ Eccle-  
 sia sancta catholica habet, Et quæ omnium  
 Orthodoxorum consensu probata, Et rece-  
 pta



pta sunt, neque ulla ratione, aut persuasione a veritate fidei, Ecclesie, & Evangelii, quod acceperunt, & in quo stant, & salvantur omnes gentes, avelli se patientur; sed in eo, quod hactenus pie, & recte docti sunt, & crediderunt, permaneant.

Secundus articulus jubet, ut nullus prædicet, nisi ab Episcopo ordinario, vel ejus vicario, admissus fuerit, & si quis etiam religiosus Apostolicæ Sedis privilegio nitatur, tenebitur nobis, aut Vicariis nostris, de hoc fidem legitimam facere: Laicis vero prorsus interdiciamus, ne prædicandi officium usurpent, aut occulta conventicula faciant, & sacerdotum simplicitatem eludant, & si forte necessitas postulet, ut sacerdos tanquam inutilis, & indignus a cura gregis debeat removeri, servato ordine juris de hoc agendum est apud Episcopum, ad cujus officium tam desitutio, quam institutio sacerdotum pertinere dignoscitur. Omnes vero & singulos, aliter quam præmissum est publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumentes, præsentis statuti rigore excommunicationis vinculo innodamus, & excommunicatos declarari publice mandamus: & nisi resipuerint, alias competentis pœna a nobis aut nostris suffraganeis, vel locorum ordinariis, plectendi sunt.

Tertio articulo Episcopis injungitur, ut illos, quibus prædicandi, vel alios instituendi potestas tradenda est, prius probent,

A 2                      atque

Sæc. XVI.  
A.C. 1549.



**Sæcul. XVI** atque examinent, ne peregrinis forte &  
**A. C. 1549.** hæreticis doctrinis imbuti, non satis perspe-  
 cti recipiantur in ovile Christi, ad gra-  
 vem dominici gregis perniciem. Attamen  
 non tam eloquentiores quam sapientiores, ne-  
 que tam argutiores, quam meliores eligendi  
 sunt, modo gregi sana doctrina pascendo non  
 sint prorsus idonei. Immo tanto magis  
 aliquoties cavendus est is, qui eloquentia pol-  
 let, quanto plus ob eloquentiam, dum recte  
 dicere & docere existimatur, nocere & fal-  
 lere potest.

Quartus articulus plura complecti-  
 tur monita circa Verbi Divini prædica-  
 tionem, ac præcipit, ut Prædicatores  
 verbum veritatis recte & bona fide tractent,  
 tanquam dispensatores multiformis gratiæ  
 Dei omittis his, quæ a puritate Evangelii  
 aliena sunt, vel supervacanea, vel parum æ-  
 didicantia: sed nec opinabilia, ac dubia pro  
 certis & receptis asseverare audeant. Ab  
 apocryphis abstineant, & quæ Ecclesia oc-  
 cultanda esse decrevit, de suggestu non pro-  
 mulgabunt. Comicas, anniles, & interim  
 obscenas fabulas, & quæ risum moveant  
 citius, quam lachrymas propter peccata, po-  
 puli auribus non ingerant, & omittis odii,  
 invidiæ, insectationis, quæstus, ambitionis, &  
 consimilibus nequam affectibus, sincere &  
 pacifice Evangelium pacis annuntient: mu-  
 tuis conviciis se non proscindant, nec alius  
 alium pro concione impugnet, sed si quis al-  
 terum



terum hæresin, vel perniciosum errorem, Sæcul. XVI. A.C. 1549.  
aut aliud quidpiam, quod piarum aurium  
sit offensivum, dixisse deprehenderit, Episco-  
po, aut illius vicario, aut inquisitori Apo-  
stolico, vel officiali loci, ordine etiam serva-  
to evangelico, significet.

Ea vero potissimum doceant Pastores,  
quæ ad tranquillitatem, & piam concor-  
diam facere, & ad captum rudis populi ac-  
comodata esse cognoverint, ejusmodi est sim-  
plex explanatio Symboli, decem præcepto-  
rum, Sacramentorum, & ceremoniarum  
Ecclesiæ, Orationis Dominicæ: item cohor-  
tatio ad pœnitentiam, in qua Christi Ser-  
vatoris commemorent beneficia, ac pœnas  
nunquam finiendas, quæ in malo obstinatis  
paratæ sunt, ob oculos ponant: sed ne mi-  
sericordiam desperent, rursus sublevent, ac  
solentur.

Sanctorum religiosam mentionem subin-  
de faciant, animosque Christi fidelium illo-  
rum exemplis incitent, confirmet, & in-  
tercessione consolentur. Doceant quoque ve-  
ras Sanctorum reliquias reverenter haben-  
das: contenti sint Evangelia, & lictiones,  
quibus in dominicis, & festis diebus Ecclesia  
utitur, interpretari populo, & ex his ser-  
monem, & doctrinam ad ædificationem pa-  
puli formare.

Quintus articulus loquitur de cultu  
divino diligenter, ac religiose peragendo, nec-  
non de disciplina chori observanda; est e-



Sæc. XVI.  
A.C. 1549.

*nim, inquit Synodus, externus cultus signum, ac manifestatio quædam cultus interni: hinc monet Clericos, ut omnes pariter convenienti modulatione, & consona voce debitum Deo cultum nocturnum, & diurnum religiose, & devote exhibeant. Hanc in rem Synodus refert, S. Augustinum testatum fuisse de S. Ambrosio, quod hic S. Doctor in Mediolanensi Ecclesia sacrum cantum instituerit Ecclesiasticum juxta morem Ecclesiarum Orientalium, & quod hic idem cultus celebrari ceperit magno aliarum Ecclesiarum studio hymnos, & psalmos canentium. Profert etiam Synodus S. Augustini verba, quibus testatur, quantum Ecclesiasticis hisce canticis fuerit affectus: „Quantum  
 „ flevi Domine, ait S. Doctor, in hymnis, & canticis tuis, suave sonantibus Ecclesiæ vocibus acriter commotus? voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum; & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & mihi bene erat cum illis. Et rursus: cum reminiscor, inquit, lacrymas, quas in primordio fidei meæ fudi ad cantus Ecclesiæ, & nunc quoque commoveor, non cantu, sed rebus, quæ cantantur; cum liquida voce, & convenientissima modulatione magnam hujus instituti utilitatem rursus agnosco:*



„ sco, magisque adducor consuetudi- Sæcul. XVI.  
 „ nem approbare in Ecclesia, ut per A.C. 1549.  
 „ oblectamenta aurium infirmior ani-  
 „ mus in affectum pietatis assurgat. „

Sextus articulus præcipit, ut omnis, qui horis canonicis persolvendis deputati sunt, dent operam, ut collectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absolvant: nec ita se habeant, ut dum voce psallunt, quidvis potius, quam Deum animo cogitare videantur: semper caventes, ne propheticum illud audiant: Labiis quidem me honorant, cor autem eorum longe est a me. Quid autem est, voce quidem psallere, mente autem domum, aut forum circumire, nisi homines fallere, & Deum irridere! Grave admodum est, quod Scriptura dicit: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Statuimus proinde, ut laudes divinæ per singulas horas non cursim, ac festinanter, sed tractim servatis intervallis decentibus, ratione dierum festorum, a profestis intermediis secernendorum, habitæ reverenter, & alacriter absolvantur.

Nullus item dum canonicæ preces in templo publice cantantur, aut leguntur, audeat privatim ibidem aliquid legere, ac ne horas quidem canonicas absolvere; sed concinat, ac una cum fratribus Deum honorificet. Contrarium qui fecerit, tanquam absens habeatur.



Sæcul. XVI.    A.C. 1549.    Articulus septimus prohibet, *ne aliquis, dum Sacra sunt, per templa vagetur, ac profana misceat colloquia.* Post hæc ex ordine enarrat omnia, quibus Dei cultus interturbari potest, ac demum Suffraganeis, ac Capitulis injungit, ut hujus decreti executioni invigilent.

In articulo octavo hæc leguntur: *Majorum nostrorum vestigia sequentes, Et auctoritati sacrorum generalium conciliorum innitentes, ut cuncta in domo Dei ordine fiant, volumus, ut in metropolitana nostra Trevirensi, Et in omnibus Cathedralibus, Et collegiatis Ecclesiis civitatis, diæcesis, Et provincie nostræ Trevirensis, habeantur duæ tabulæ, quarum una habeatur, aut ponatur in, aut circa chorum; in qua disciplina observanda descripta sit: ex cujus tenore satis liqueat, quando, Et qualiter quis horis canonicis interesse debeat, ad cujus disciplinæ observantiam, Prælati cunctos sibi subditos rigorose commoneant, Et compellant, Et si alicubi hæcenus erecta non fuit, aut deperdita, eam rursus erigi, Et describi jubemus. Secunda vero tabula locabitur, Et ponetur in sacrario, aut alio loco convenienti, in qua quid ab unoquoque Canonico, vel alio beneficiato legendum, cantandumque sit, singulis diebus, Et horis per hebdomadam scribatur.*

Ibidem



Ibidem quoque præscribitur, quali- Sæcul. XVI.  
ter illi, qui choro assistunt, sese in capi- A.C. 1549.  
tulis gerere debeant.

Nonus Articulus agit de *Missæ offi-  
cio rite peragendo*: hanc in rem præ-  
cipue ea, quæ sequuntur, statuit: in *Mis-  
sa publica*, quando epistola legitur, hæc le-  
ctio non interrumpatur cantu, atque in ele-  
vatione Corporis, & Sanguinis Christi,  
& post, usque dum cantatur *Agnus Dei*, si-  
leant organa, nulla cantetur antiphona, ne-  
que pro pace, neque adversus pestem, aut  
mortalitatem: sed silenter pro se quisque,  
aut flexis genibus, aut prostratis humi  
corporibus, passionis, ac mortis Christi com-  
memorationem faciat; ac Redemptori gra-  
tias agat, pro beneficiis per mortem ipsius  
largissime acquisitis. Statuimus insuper,  
immo antiquorum Patrum statuta innova-  
mus, ut sub summo Sacro nulli Sacerdotum  
liceat eodem in templo sacram rem facere,  
sed privatas *Missas* ante absolvant, ut omni-  
bus ad publicum Sacrum convenire sit in-  
tegrum, & chorus plenus, & collectior ple-  
niorem, ac puriorem Deo cultum exhibeat.

Et si optare potius, quam sperare licet,  
adesse quotidie aliquos, qui *Eucharistiæ*  
accipiant; volumus tamen, ut Sacerdotes ad  
frequentationem hujus mysterii, & sacram  
communionem laicos adhortentur; nec tamen  
ideo Sacerdotes a quotidiano Sacro desi-  
stere oportet, quod desint, qui cum Sacer-



Sæcul. XVI. A.C. 1549. *dote sacra faciente mensæ Dominicæ quoti-  
die Sacramentaliter communicent. Ordina-  
mus præterea, ut per singulas diœceses no-  
stræ Provinciæ Missarum officia decanten-  
tur, & legantur, prout in missali ordinario  
uniuscujusque Diœcesis ordinatum est. Et  
si qua Diœcesis proprio ordine missalis ca-  
ruerit, ad modum nostræ Trevirensis Eccle-  
siæ missali utetur.*

In decimo articulo admodum numerum  
festorum crevisse memorat, ac calentem fi-  
delium devotionem frigescere, eoque ventum  
esse, ut bona pars hominum omnia festa ne-  
gligat, idque impune, nec sine Ecclesiæ dede-  
core. Pauperes, qui non habent, unde alant  
uxorem, & familiam, clamant, omnem fe-  
re cessationem damnosam sibi esse. Operæ  
pretium proinde nobis visum est festorum  
numerum contrahere; quo & effrenes coer-  
ceantur, & aliquid detur necessitati paupe-  
rum: itaque hæc festa omnino celebria esse  
volumus, & pro pastoralis nostro officio so-  
lenniter celebranda mandamus, & præcipi-  
mus: Dies Dominicos omnes, festum Nati-  
vitatæ Christi, Stephani, Joannis, & o-  
mnium Apostolorum, Circumcisionis, Epi-  
phanicæ, & Purificationis, Annunciationis,  
Assumptionis, Nativitatæ Virginis Mariæ,  
Paschæ cum duobus sequentibus, Corporis  
Christi, Joannis Baptistæ, Magdalencæ, Lau-  
rentii, Crucis, Michaelis, omnium Sancto-  
rum, Martini, Catharinæ, Andreæ, Nico-  
lai,



lai, & Thomæ. Et in civitate nostra Trevi-  
rensi hæc festa Patronorum, Maximi, Si-  
meonis, Visitationis, Helenæ, Paulini,  
Translationis Materni, & Eucharii. Et  
in singulis Civitatibus, oppidis, & Paro-  
chiis, dedicationis festa, & patrocinia cele-  
brari mandamus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

Postea loquitur Synodus de aliis diebus festis, quos nonnisi usque ad meridiem feriari præcipit, ac, qua ratione celebranda sint, præscribit.

Undecimus articulus plura tradit præcepta pro restauranda Monachorum, ac Monialium disciplina, & præprimis prohibet, ne aliquis ante decimum quintum annum, ad probationis annum admittatur. Item ne quis anno probationis non completo ad professionem recipiatur. Item receptis sic præceptores idonei deputentur, qui eos in regulari observantia, & divinis officiis non minus, quam in literis, & e converso instituant & forment. Ad sacros ordines suscipiendos nonnisi ætate, & scientia sufficientes præsentent. Item idonei ad jussum Superioris sui, excusatione legitima cessante se faciant promoveri. Gratis quoque singuli ad professionem recipiantur, nullo accepto pretio, nec aliqua facta conventionione.

Insuper eadem Synodus prohibet, ne Moniales Ordinem aliquem professæ Confessorem habeant alium, quam ejusdem Ordinis.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1549. nis, & Regulae. Alio Canone præcipitur, ut nullus Monachus sæcularibus negotiis sese immiscere præsumat. Denique statuitur, ut Ordinum Mendicantium quæstores integram Eleemosynæ partem ad conventum & in commune conferre studeant.

Duodecimus damnat violentias, quibus Monasteria exagitantur: præterea inhibet, ne quis aliquam religionem professus Ecclesiarum parochialium gubernacula, & curam suscipiat, nisi de ipsius Archiepiscopi vel Ordinariorum admissione, subsistente causa legitima, & superiorum suorum voluntate, & licentia obtenta, ita tamen, quod per superiores suos revocari possint, ac revocati humiliter obedire teneantur.

Ecclesias monasteriis unitas, seu incorporatas, si non tanta intercapedine distant, quin religiosi earundem curam habituri in communis vitæ regulari observantia, & obedientia degere possint, per huiusmodi religiosos provideri & regi modo idonei sint, permittimus.

Præcipit insuper, ut Mendicantium Ordinum fratres in verbi Dei propositione & prædicatione, in audiendis confessionibus Christi fidelium, in sepulturis, & funeralibus, & aliis huiusmodi, se per omnia conforment constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis desuper editis.

De casibus vero reservatis statuit, ne quis, non obstante quocunque privilegio, ab  
iis



iis absolvere præsumat, nisi id specialiter ei  
 sit commissum. Denique prohibet Reli-  
 giosis curam animarum non habentibus, ne  
 alicui sacram Eucharistiam porrigere præ-  
 sumant, nisi de expressa permissione, & scien-  
 tia pastoris.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1549.

Articulus decimus tertius titulum  
 præferret de Decanis Christianitatis, atque  
 Archipresbyteris, ubi Synodus mandat,  
 ut omnium, & singularum Ecclesiarum pa-  
 rochialium curati, intra annum a die ac-  
 ceptæ possessionis, per se, vel per procurato-  
 rem legitimum, præstent juramentum Deca-  
 no. Præcipit quoque cunctis, ut capi-  
 tulis a Decreto rurali indictis intersint,  
 statuitque, ut pro se, & juribus suis Deca-  
 nus habeat a quolibet decedente tres florenos  
 Rhenenses. Denique aliud adhuc ibidem  
 habetur statutum de Capellanis, & vice-  
 curatis circa eorum redditus.

Decimus quartus articulus præscri-  
 bit ea, quæ Parochis pro ipsorum mi-  
 nisteriis erogare oportet, ac duodecim de-  
 narios exigere permittit, si Sacramentum ex-  
 tremæ unctionis administratur, ultra tamen  
 nullus exigere præsumat, datum tamen,  
 aut oblatum liberaliter recipere poterit.  
 Pariter pro Baptismo, nuptiis, exequiis,  
 & aliis funeralibus, quæ exigere licet,  
 significat.

In



Sæc. XVI.  
A.C. 1549.

In Articulo decimo quinto agit de Scholæ Magistris, ac de Canonicorum studiis, hancque in rem Synodus hæc habet: *Magna cura habenda est, ut juvenus nostræ civitatis, Diæcesis, & Provinciæ Treverensis, a primo ætatis flore, non minus Christianæ pietatis institutis, & incorruptis moribus imbuatur, quam Rudimentis literarum incontaminatis recte instituat, quapropter præcipimus, ut juxta Patrum antiquorum decreta singula collegia scholas instaurare, vel erectas conservare debeant, & Prælati Ecclesiarum, ac alii, quibus id muneris ex officio incumbit, solerter provideant, ut Pædagogi & Magistri idonei sint, & probi, atque vitæ omnino inculpata.*

Præcipit etiam, ut Canonici, qui in sacris majoribus Ordinibus fuerint, & studiis apti extiterint, ad Universitates Catholicas, arbitrio capituli, necnon sufficienti tempore eis determinato, ac præbenda eisdem assignata, salvo tamen, & deducto consueto onere mittere debeant: ipsis vero in minoribus existentibus, de præbenda, quæ eis deducto onere, si residerent, deberetur, in absentia respondere tenebuntur, data tamen prius sufficienti cautione, de perceptis simpliciter Ecclesiæ restituendis, si finitis annis pro studio concessis, mox tunc intra proximum annum sacris majoribus Ordinibus initiari,



tiari, & apud easdem Ecclesias residere di-  
stulerint.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

Agitur in Articulo decimo sexto contra eos, qui Clericos ad iudicium sæculare pertrahere præsumunt, quapropter Synodus ita pronuntiat: *Magnum abusum, & Canonibus, & Imperialibus legibus contrarium, omnino tollere, & abolere affectantes, vetera statuta provincialia prædecessorum nostrorum innovamus: & districte præcipiendo mandamus, quod nullus Ecclesiasticam personam trahere ad iudicium sæculare præsumat. Et si Laicus actor hoc fecerit, a jure suo cadat, & iudicatum non teneat, & iudex ex tunc omni potestate iudicandi sit privatus: Clericus vero actor alium Clericum trahens ultra præmissa, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: Clericus vero reus sub simili pœna, præter alias pœnas juris, in iudicium laicale non consentiat. Et quicumque iudex sæcularis directe, vel indirecte, per se, vel alium, clericum coram se litigare, aut respondere compellit, aut cautionem, vel fideiussionem exigit, aut impedimentum, & molestiam infert, aut procurat, quo minus Ecclesiasticæ personæ, in foro Ecclesiastico libere agere, & defendere possint; ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.*

Prohibet articulus decimus octavus, ne quis aliqua statuta contra libertatem Ecclesiæ facere præsumat, simulque  
Syno-



Sæcul. XVI. A.C. 1549. Synodus irritat omnia ejusmodi statuta, quæ contra libertatem Ecclesiæ hucusque facta fuerunt, indictis gravissimis pœnis, *salvis insuper aliis pœnis contra tales in Concilio Generali promulgatis.*

In decimo nono articulo hæc habentur: *Etsi sacræ Cæsareæ Majestatis Augustanæ reformationem nobis, & aliis Archiepiscopis, Episcopis, & Ecclesiarum Prælati, ad deliberandum traditam, & eam quasi sacris Canonibus consonam, & convenientem, sine omni sanctæ Sedis Apostolicæ præjudicio probatam receperimus; & in nostra Diœcesi Trevirensi solemniter publicari, & exequi, quantum in nobis fuit, curaverimus, nos tamen auctoritate metropolitica nonnulla statuta circa morum correctionem in hac Synodo edi, & publicari mandamus, eaque in usum deduci jubemus.*

Denique in articulo vigesimo Synodus hæc mandat, ut per civitatem, Diœcesim, & Provinciam nostram Treverensem, horum nostrorum statutorum legitima fiat publicatio, & quod omnium, & singulorum monasteriorum, Collegiorum Prælati, & Rectores, necnon Christianitatis Decani & plebani locorum, copiam statutorum semper, & continuo penes se habeant, & teneant, & in eis statuta, & ordinata, in quantum quemlibet concernunt, inviolabiliter observent, alioquin negligentes, seu contrarium facientes, in iis scriptis excommu-  
nica-



nicamus, præter alias pœnas supra commi-  
 natas, reservando tamen nobis, & successo-  
 ribus nostris Archiepiscopis Trevirensibus  
 metropolitanis potestatem super præmissis  
 omnibus, & singulis addendi, minuendi,  
 corrigendi, extendendi, interpretandi, &  
 declarandi, quoties opus fuerit.

Omnia hæc Decreta die decima ter-  
 tia Maji in Trevirensi Ecclesia Cathedra-  
 li fuere approbata. Præterea plu-  
 res alii Metropolitanæ Catholici eadem  
 Cæsarea edicta Augustæ condita tam  
 circa *Interim*, quam circa Cleri emen-  
 dationem promulgari curarunt, eorum  
 tamen acta ad nos non pervenerunt.

## §. C.

*Franciæ Regis edictum contra Pro-  
 testantes.*

Pariter Galliarum Rex suum reforman-  
 di studium quodam specimine exe-  
 rere satagebat; quippe die quarta Ju-  
 lii Lutetiam Parisiorum ingressus so-  
 lemnem decrevit supplicationem, cujus  
 rationem populo demonstrabat edito  
 hanc in rem edicto, in quo hæc lege-  
 bantur: *Ad Majorum meorum exemplum*  
*statui omnino, suscipere fidei Catholicæ,*  
*Religionis, authoritatis, & libertatis apo-*  
*stolicæ, & ministrorum Ecclesiæ patroci-*  
*nium, atque tutelam: inter causas, hæc*  
*Hist. Eccles. Tom. XL. B etiam*

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1549

*Nouveau re-  
 cueil de ci-  
 qui s'est passé  
 contre les  
 Protestants  
 en France par  
 le Fevre in q-  
 Sarpi hist.  
 Conc. Trid.  
 3. p. 480.  
 Sleid. l. 21.  
 p. 763.*



Sæcul XVI. A. C. 1549. etiam est præcipua, ut publice constaret, quantopere detester eos, qui contra præscriptum Christi, contra formulam, & traditiones Apostolorum, contra totius antiquitatis consensum negant præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi, qui Baptismo, & Pœnitentiæ, & bonis operibus, & Sacramentis vim omnem detrahunt, qui auctoritatem Ecclesiasticam, & Ordinem hierarchicum plane contemnunt, qui cultum, & venerationem, & reliquias divorum rejiciunt: deinde per eam supplicationem testificari volui, quæ mea sit sententia, quæ voluntas, nimirum, quod exemplo Majorum, & imitatione quadam hæreditaria, de dogmatis omnibus, ita sentiam, & credam, sicut Ecclesia Catholica, Symbolum Apostolorum, Concilium primum Nicænum, & alia multa Concilia Patrum: item, quod hæreses, jam olim damnatas, hoc vero tempore partim resuscitatas, partim inventas a Luthero, Carolo studio, Zwinglio, Oesolompadio, Melanchtone, Bucero, Calvino, & id genus aliis hæresiarcho, hominibus monstrosis, & pestiferis, plane decreverim e meis finibus exterminare, & in eos, qui meriti sunt, gravissime vindicare.

Hoc edictum Rex per omnes Regni Provincias divulgari præcepit, cunctisque Episcopis pro emendandis eorum Diœcesibus Provinciales Synodos celebrandi facultatem concessit. Hæc tamen



tamen agendi ratio Romanam Curiam <sup>Sæcul. XVI.</sup> offendit, eo quod Rex hoc facinore adeo <sup>A.C. 1549.</sup> Christiano Ecclesiam Gallicanam Sedi Apostolicæ minus obnoxiam reddere videretur (\*). Idem Rex jam antea die quarta Februarii aliud promulgavit edictum, quo Præsidualis Curiae Judices, eorumque Vicarios de negligentia, qua in Lutheri Sectatores inquirere prætermiserunt, vehementer redarguit. Ineunte anno sequenti idem Franciæ Rex edictum a Francisco I. Patre suo contra eosdem promulgatum innovari iussit, severissimas intentans pœnas in illos iudices, qui hæreticos manifestare, eosque punire neglexerint. Ceterum hoc anno nulla Facultatis Theologicæ censura occurrit, præter illam admonitionem, qua die secunda Septembris quemdam Carmelitam perstringit, eo quod in die Beatæ Virginis assumptæ sermonem habens, Orationem Angelicam omisisset, id vero, ut deinceps faceret, Facultas eidem injunxit.

B 2

§. CI.

(\*) De hac Pontificis suspitione, atque offensione solus Sarpus semper summis Pontificibus infensus mentionem fecit, nullum tamen, qui insulsum hoc commentum suæ Historiæ infereret, Scriptorem invenio præter Continuatorem ipsi haud absimilem.



Sæcul. XVI.  
A.C 1549.

§. CI.

*Quatuor Cardinales a Paulo III.  
Papa creati.*

*Ciacon. in  
vit. Pontif.  
tom. 3. p. 735.  
Et seq.*

Hucusque summus Pontifex admodum dubius hærebat, quid tandem circa Bononiensis Concilii translationem decerneret, aliunde etiam tam Bononienses, quam Tridentini Patres suas suspenderunt Sessiones: priusquam vero Paulus Papa hac super re animi sui propositum panderet, die octava Aprilis quatuor Prælatos purpura decoravit, quorum primus erat Hieronymus Verallius Patria Romanus, & filius Joannis Baptistæ Verallii, ac Juliæ, quæ Dominici Jacobatii Cardinalis Soror erat. Præfuit hic Episcopus Portuensi, Asculanæ, ac dein Casertanæ Ecclesiis, demum vero Rossanensis Archiepiscopus nominatus primo tituli S. Martini in montibus, ac postea S. Marcelli Cardinalis creatus est. II. Joannes Angelus Medicæus Mediolanensis, Archiepiscopus Ragusinus, & Presbyter Cardinalis tit. S. Pudentiænæ, postea S. Stephani in monte Cælio, idemque postea in Papam electus nomen Pii IV. assumpsit, atque illo regnante Tridentina Synodus absoluta fuit. III. Philibertus Ferrerius Ver-

cellen-



cellentis, ex Episcopo Ebolediensi in-  
ter Cardinales Presbyteros tit. S. Vita-  
lis cooptatus. IV. Bernardinus Maf-  
fæus Nobilis Romanus, qui primo Maf-  
fanus Episcopus, postea ad Theatinam  
Archiepiscopalem Sedem translatus  
Cardinalis tit. S. Cyriaci creatus est.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.

## §. CII.

*Cardinalis Ferrerii obitus.*

Ex hisce quatuor Cardinalibus nume-  
ro tertius, nomine Philibertus Fer-  
rerius nonnisi quatuor mensibus purpu-  
ræ honoribus fruebatur; quippe eo-  
dem, quo creatus est, anno die décima  
quarta Augusti mortalitatem exiit. Is  
erat Joannis Stephani, & Bonifacii  
Ferrerii Cardinalium Nepos, quorum  
prior Anno post Christum natum mil-  
lesimo quingentesimo octavo, alter au-  
tem biennio post fatis functus erat.  
Fratrem quoque habuit Petrum Fran-  
ciscum itidem Cardinalem, Vercellen-  
semque Episcopum, qui nonnisi Anno  
Salutis nostræ millesimo quingentesimo  
sexagesimo sexto morte sublatus est.  
Præterea Philiberti Nepos erat alius  
quidam Cardinalis, qui vocabatur Gui-  
do Sebastiani Romagnani, & Magda-  
lenæ Boromeæ filius, quem Pius V.  
Anno Christi millesimo quingentesimo

Ciacon. l. c.

p. 727.

Aubery vie

des Cardin.

Franc. San-

sov. Famil.

Ital.



Sæcul. XVI. sexagesimo quinto  
A. C. 1549 Purpuratorum Col-  
 legio adscripsit. Ceterum Philibertus,  
 de quo impræsentiarum agimus, Vir  
 erat moribus admodum compositus, ac  
 liberalium artium intelligentia præcla-  
 rus, & regebat Eboediensem Eccle-  
 siam, cum a Paulo III. purpura dona-  
 tus esset, quocirca vulgo Cardinalis E-  
 boediensis nuncupabatur: obiit autem  
 Romæ immatura morte, sepultus in  
 Ecclesia S. Mariæ de Pace, inde vero  
 ejus ossa Biellam Pedemontii urbem,  
 quæ Joannis Stephani ejus Patruī, ac  
 Petri Francisci Fratris illius patrium  
 solum erat, translata in tumulo Majorum  
 suorum recondita fuere. Hic idem  
 Clusinae in Senensi Republica Abbatia,  
 necnon cœnobiorum S. Benigni, ac S.  
 Stephani Eboediensis Abbas erat, &  
 priusquam Cardinalibus accenseretur,  
 Sedis Apostolicæ Nuntius ad Caro-  
 lum Sabaudia Ducem decernebatur.

Hoc item anno adhuc quinque alii  
 Cardinales vivis erepti sunt, nimirum  
 Hubertus Gambara, Ascanius Parisa-  
 nus, Bartholomæus Guidiccionus, Be-  
 nedictus Accolitus, & Ennius Philo-  
 nardus.



## §. CIII.

Sæc. XVI.  
A.C. 1549.*Huberti Gambaræ Cardinalis  
extrema.*

**H**os inter primus Hubertus Gambara Guicciard. hist. l. 8. § 16. Ciacon. l. c. p. 666. Aubery l. c. Ughel Ital. sacra. natione Italus, atque ex illustrissima Brixienfium Familia natus, filius erat Joannis Francisci Comitis de Pratalbuino, qui post Abduense prælium relictis Venetorum vexillis Gallorum castra secutus est, ut Brixienfem urbem, quæ erat ipsius Patria, ab hoste liberaret: verum hac defectione plurimum in se concitabat Rempublicam Venetorum, qui eundem nonnisi opera Leonis X. Papæ huic Comiti addictissimi in gratiam receperunt: Cum autem idem Pontifex juvenis Huberti Gambaræ confortio frui peroptaret, hunc primo Protonotarium Apostolicum, & postea eundem sanctioris Concilii Ministrum creavit, ac demum sacræ Sedis Nuntium in Lusitaniã decrevit, ubi legatione sua ibidem tanta prudentiæ, ac sapientiæ laude fungebatur, ut mortuo Leone X. atque Adriano VI. a Clemente VII. in Gallias ad Franciscum I. & postea ad Henricum in Anglia Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo ablegaretur, ut foedus contra Cæsarem Carolum V. qui hunc Papam

B 4

captum



Sæcul XVI  
A.C. 1549. captum tenebat, conciliaret. Rursus  
 Gambara demandatum hoc negotium  
 tam dextre obibat, ut in gratitudinis  
 signum a Clemente Papa Tortonensem  
 Ecclesiam, ac Bononiensem obtineret  
 Legationem, in eadem hac urbe tum  
 diversatus, cum Imperator a summo  
 Pontifice Imperii coronam reciperet.  
 Post hæc a Paulo III. circa annum re-  
 paratæ Salutis millesimum quingentesi-  
 mum trigessimum nonum Cardinalis cre-  
 atus Parmensi, ac Placentina legatione  
 auctus est, ut scite Farnesianis opitu-  
 laretur, qui tum in harum urbium pos-  
 sessionem introducebantur. Anno Sal-  
 vatoris millesimo quingentesimo quadra-  
 gesimo octavo idem Cæsari Nepoti suo  
 Tortonensem Episcopatum cessit: hoc  
 autem anno feria quinta die decima  
 quarta Februarii rebus humanis valedi-  
 xit, annum agens ætatis suæ sexage-  
 simum. Corpus ejus delatum fuit Bri-  
 xiam, ubi hodie in Ecclesia S. Ma-  
 riæ de Gratiis illius tumba, ac sepul-  
 cralis inscriptio legitur. Hunc Lean-  
 der Albertus celebrat tanquam Virum  
 in rebus politicis rara prudentia prædi-  
 tum, literarum, ac Literatorum fauto-  
 rem, necnon tanta memoriæ felicitate  
 insignem, ut eorum, quæ didicerat,  
 nunquam oblivisceretur.



## §. CIV.

Sæc. XVI.

A.C. 1549.

*Mors Ascanii Parisani Cardinalis.*

Ascanius Parisanus erat patria Tolentinus, natione Italus, nonnisi ad grandia natus, ac præprimis a Clemente VII. Cajacensis, demum vero cedente Montano Cardinale Ariminensis Episcopus renuntiabatur, anno autem Salvatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo nono a Paulo III. purpura decoratus passim Ariminensis Cardinalis vocabatur. Post hæc anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Perusinam, atque Umbrianam legationem obiit, necnon in Campaniam, aliasque Provincias Legatus decernebatur: tandem vero feria quarta die tertia Februarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo nono animam Deo reddidit, sepultus in Sacello, quod ipsemet construi fecit in Ecclesia ad S. Marcellum, ejusque anniversaria dies a Fratribus Ordinis Servorum B. V. cujus Protector erat, quotannis die decima tertia mensis Augusti in eorum Ecclesia celebratur. Hic idem Cardinalis testamento cavit, ut Palatium suum, ne a suis hæredibus alienari posset, extincta ipsius familia ad Cænobium D.

Ciac. p. 667.



Sæcul. XVI Marcelli, ubi sepultus quiescit, de-  
 A. C. 1549. voveretur.

§. CV.

*Guidiccionus Cardinalis mortuus.*

*Ciac. p 670.* Anno a Nativitate Domini millesimo  
*Attichy hist.* quadringentesimo septuagesimo Bar-  
*Card. Orlan.* tholomæus Guidiccionus Lucæ, quæ  
*hist. Soc. Jes.* Etruriæ urbs est, ex nobilissima gente  
*l. 2. n. 24.* erat ortus. Hic liberalibus disciplinis,  
*Ughel t. 6.* Theologia, ac Jurisprudencia apprime  
*Aubery l. 6.* excultus meriti sui famam usque ad  
 Romanam Curiam diffundebat, ibidem-  
 que a Farnesio Cardinale, qui postea  
 euectus ad Petri Cathedram, Paulus  
 III. nominabatur, primo in familiam  
 suam adscriptus, postea generalis Par-  
 menfis Episcopatus Vicarius constitue-  
 batur; cum vero ad quamdam villam  
 prope Lucam secederet, ibidemque  
 nonnisi literarum, ac pietatis exerci-  
 tiis intentus esset, inde ab eodem Pon-  
 tifice revocatus die duodecima Decem-  
 bris Anno a Nativitate Domini millesi-  
 mo quingentesimo trigesimo nono una-  
 cum Clusina, Interamniensi, ac Luc-  
 censi Ecclesiis purpuram accepit, si-  
 mul Romanæ Urbis Governator, Da-  
 tarius, & Major Pœnitentiarius decla-  
 ratus: Verum primos duos hosce Epi-  
 scopatus summo Pontifici restituit, imo  
 postre-



postremum etiam Nepoti suo cessit. Jam <sup>Sæcul. XVI.</sup> alibi meminimus, quod idem Cardina- <sup>A. C. 1549.</sup> lis D. Ignatii Societati, ejusque approbationi sese vehementissime opposuerit, eoquod omnis generis novitates tanto odio infectaretur, ut adeo non novorum Ordinum introductioni faveret, ut etiam ex veteribus quosdam aboleri, omnesque duntaxat ad quatuor revocandos arbitraretur. At progressu temporis Guidiccionus mutata hac animi sententia novam hanc Societatem impenso studio colere cæpit. Obiit Romæ Anno ætatis suæ octogesimo die vigesima octava Augusti, pro ut sepulcralis ejus inscriptio testatur. Delatum est Corpus ejus ad Lucensem Ecclesiam, ubi etiam celebre monumentum erectum cernitur. Juridici illius tractatus collecti fuere in viginti volumina unacum pluribus opusculis, quæ adhucdum Romæ in Bibliotheca Vaticana asservantur. Ceterum hic Cardinalis summi Pontificatus honore adeo dignus censebatur, ut Paulus III. ejus obitum deplorans affirmaverit, quod Successorem suum amiserit. Præterea idem sibi asperrimus multis virtutibus inclarescebat.

§. CVI.



Sæcul. XVI.

A.C. 1549.

§. CVI.

*Accoltii Cardinalis fata.*

*Ciaco. p. 277.* **B**enedictus Accoltius Aretinus ex nobilissima Etruriæ familia ortus Petri Accoltii Cardinalis Nepos, atque Michaelis, & Lucretiæ de Alemanis filius fuit, primamque lucem aspexit die vigesima nona Octobris Anno Salutis nostræ millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo. Hic emenso Florentiæ studiorum curriculo tam perspicaci Jurisprudentiæ, latinique sermonis intelligentia inclaruit, ut merito ævi sui Cicero audiret. Postea tam Petri Patru sui favore, quam proprii meriti suffragio sibi Romæ potentissimos conciliabat amicos, ab ipsis etiam summis Pontificibus ob pietatis, atque eruditionis præstantiam plurimi habitus, unde a Leone X. Apostolicis literis in epitomen contrahendis præpositus, & postmodum Gaditanus Episcopus in Hispania est renuntiatus: ab Adriano autem VI. Cremonensi, ac demum cedente suo Patruo Ravennatensi Archiepiscopatu auctus eidem Pontifici ab Apostolicis literis fuit. Tandem nonnisi triginta annos natus die tertia Maji Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo septimo Cardinalis

*Aubery & Ughel l. c. Ser Rossi hist. Raven. Bembo & Sc dol. in epist.*



nalis tit. S. Eusebii a Clemente VII. Sæc. XVI.  
 creatus, in Neapolis Regno Policastren- A.C. 1549.  
 sem, & Bovinensem Ecclesias admini-  
 strandas obtinuit, atque ab eodem Pa-  
 pa S. Bartholomæi Abbatiam in Fer-  
 rariensi ditione sitam in commendam re-  
 cepit, necnon Fanensis Gubernator per-  
 petuo jure selectus fuit, quod munus  
 rara prudentia, ac æquitate obibat,  
 quamvis ob Marchiæ Anconitanæ Le-  
 gationem cum Medicæo Cardinale quæ-  
 dam contentio esset exorta. Ceterum  
 Accoltius impellente Clemente Papa  
 tractatum conscripsit, in quo Sedis A-  
 postolicæ jura in Neapolis Regnum de-  
 claravit. Præterea idem alia ingenii  
 sui monumenta, ac præcipua quædam  
 carmina Florentiæ collecta, atque An-  
 no Christi millesimo quingentesimo se-  
 xagesimo secundo typis excusa reliquit.  
 Porro die decima quinta Aprilis Anno  
 a Christo nato supra millesimum quin-  
 gentesimo trigesimo quinto Paulus III.  
 qua demum ex culpa Scriptores reti-  
 cent, hunc Cardinalem in arce S. An-  
 geli captum detinuit, qui tamen inde  
 post semestre liberatus quinquaginta no-  
 vem aureorum millia multæ nomine  
 pendere, ac delicti sui veniam a Papa  
 exorare compulsus est. Obiit tandem  
 Florentiæ die vigesima prima Septem-  
 bris Anno ætatis suæ quinquagesimo  
 secun-



Sæcul. XVI. secundo, Christi vero millesimo quingentesimo quadragésimo nono, sepultusque fuit in Templo S. Laurentii. Hic Cardinalis celebratur amplis omnino encomiis a Ficino, Trithemio, & Poggio.

## §. CVII.

*Suprema dies Philonardi Cardinalis.*

*Ciac. p. 607. Aubery .c.* **E**nnius Philonardus humili, sed ingenio genere Baucae Aprutii oppido in Neapolis Regno natus solo meritum suorum suffragio ad supremas dignitates euectus est; nam postquam Romæ educatus cum magno progressu literis, præcipue vero Jurisprudentiæ operam navasset, eruditionis fama ad aures Innocentii VIII. qui tum D. Petri Cathedram moderabatur, delata est, crescente autem nominis sui fama Philonardus ab Alexandro VI. Verulanus in Campania Romana Episcopus renunciatus, atque a Julio II. Abbas Casemarinus, Bononiæque Pro-Legatus, ac Imolensis Gubernator electus est. Porro cum a Leone X. ad Helvetios ablegaretur, tanto Religionis studio Pontificiæ auctoritatis jura tuebatur, ut idem munus sub Adriano VI. & Clemente VII. iterum obire mereretur. Tandem  
in



in præstiti obsequii præmium a Paulo Sæcul. XVI.  
 Ill. non modo arcis S. Angeli Guber- A C 1549.  
 nator, sed & die vigesima Decembris  
 Anno Domini millesimo quingentesimo  
 trigesimo sexto Cardinalis tit. S. Angeli  
 renuntiatus est. Postmodum Albanen-  
 sem, ac demum Ferretanam Ecclesias  
 spatio decem annorum regebat, hanc  
 tamen Ecclesiam annuente summo Pon-  
 tifice Nepoti suo reliquit. Præterea ab  
 ipso etiam Pontifice Paulo III. Eccle-  
 siastici exercitus Legatus ad bellum Ca-  
 merinum contra Urbini Ducem decer-  
 nebatur, ac paulopost in Parmensi, Pla-  
 centina, aliisque urbibus Legationes obi-  
 bat, quibus prospere functus, Romamque  
 reversus feria quinta die decima nona  
 Decembris Anno Salutis nostræ mille-  
 simo quingentesimo quadragesimo no-  
 no in arce S. Angeli animam egit, An-  
 no ætatis suæ octogesimo tertio. Cum  
 autem tum pro eligendo summo Pon-  
 tifice, quem tribus antea hebdomadi-  
 bus defunctum mox memorabimus,  
 conclave haberetur, ambo Philonardi  
 Nepotes Antonius Verulanus Episco-  
 pus, ac Saturninus hac temporis op-  
 portunitate in rem suam usi, corpus  
 Patru sui Buccam ad illius Patriam  
 transferri jusserunt, ubi hodiedum il-  
 lius monumentum unacum epitaphio  
 visitur.

§. CVIII.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.

§. CVIII.

*Joannis Gaigny, seu Gagnei  
obitus.*

*Boulay hist.* **M**ense Decembri die vigesima quinta  
*Univ. Paris.* Dominicæ Nativitati sacra obiit pa-  
*tom 6. p. 951.* riter quidam Scriptor Ecclesiasticus,  
*Miræus de* qui suis in sacras Paginas commenta-  
*Script. Sæc.* riis celebre sibi nomen comparavit. Is  
*XVI.* erat Joannes Gaigny, seu Gagneius pa-  
*Dupin Bibl.* tria Parisinus Nepos illius Gagneii, qui  
*des Auth.* primus Parisiensis Curix Præses post-  
*Eccl. t. 14. p.* modum Francix Cancellarius renuntia-  
*182. & Suiv.* tus est: Joannes vero Gagneius, post-  
quam percelebris Petri Danesii magi-  
sterio usus linguarum, atque in Navar-  
rensi Collegio Theologiæ studio vacaf-  
set, Anno Christi millesimo quingente-  
simo trigesimo primo Universitatis Re-  
ctor nominatus est, necnon Doctoratus  
laurea decoratus, atque ab illo tempo-  
ris momento unice sacrarum literarum  
studio intentus easdem publice inter-  
pretabatur, quinimo ipsemet Franci-  
scus I. eundem in Lectorem, ac Præ-  
dicatorem suum primo seligens, paulo  
post supremum Eleemosynarium consti-  
tuebat, ratus, quod hoc Officii genus  
optime componi possit cum Cancellarii  
Ecclesiæ Parisiensis dignitate, quam  
Joannes Anno Domini millesimo quin-  
gente-



gentesimo quadragesimo sexto accepta-<sup>Sæcul XVI.</sup>  
 vit, atque usque ad supremum obitus <sup>A.C 1549.</sup>  
 sui diem retinuit. Porro idem Scriptor  
 præter linguarum, ac Theologiæ stu-  
 dium, cui se totum addixerat, insuper  
 valde fluida carmina composuit, atque  
 Davidis Psalmos in Rhythmos redegit.  
 Scripsit etiam I. Annotationes præci-  
 pue in novum Testamentum succinctas  
 quidem, sed admodum accommodas,  
 & summopere illis proficuas, qui tex-  
 tus sensum assequi percipiunt: porro  
 ipse sequebatur textum Græcum, tam  
 prospero successu, ut quiscunque hoc  
 opere instructus, fusioribus commenta-  
 riis haud indigeat, eoquod in illo præ-  
 ter exactam crism literalem sensum ve-  
 luti quadam Paraphrasi explanatum re-  
 perire poterit II. Edidit Scholia in E-  
 vangelia, Actus Apostolorum, & in  
 D. Pauli epistolas, a quibus incepit suum  
 opus, quod Cardinali Lotharingio nun-  
 cupavit; is enim hunc Scriptorem ad  
 suscipiendum istum laborem induxit,  
 ejusque cura Anno Christi millesimo  
 quingentesimo trigesimo nono Parisien-  
 sibus literis hæc Scholia fuere excusa.  
 Ceterum Gagneius Anno Christi mille-  
 simo quingentesimo quadragesimo ter-  
 tio novam hujus operis sui editionem  
 adornavit, magis tamen amplam, eo-  
 quod illi etiam notas, quas in Cano-

*Hist. Eccles. Tom. XL.* C *nicas*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1549. nicas Epistolas & Apocalypsin confecerat, adjunxisset, porro ejusdem commentarii in Evangelia, & Actus Apostolorum nonnisi post ejus obitum Anno restauratæ Salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo sub Francisci Aleomi cura typis impressi prodierunt. Ibidem præcipue Scriptoribus Græcis insistit, sed tamen Hieronymum, Patresque Latinos negligit, Cajetanum vero prorsus indigno modo perstringit, & ex reliquis plurimum commendat Catharinum, & Pighium, quorum etiam opiniones circa gratiam, & Prædestinationem sequitur, simulque non raro Erasmus, & Fabrum Stapulensem redarguit.

Præterea Davidis Psalmos, quos in lyrico varii generis carmine edidit Vulgatæ textui apposuit, atque ea, in quibus hæbraicus textus differre videtur, adjiciens Vulgatam illustravit. Insuper jussu Francisci I. Regis anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo Gallice reddidit Primallii commentarios in Epistolas D. Pauli, simulque in idem idioma transtulit Guericæ Abbatis Igniacensis sermones, qui Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Lugduni impressi publicam lucem aspexerunt. Pariter in latinum vertit  
fermo-



sermones Gallicos, qui de ultimis Christi Domini cruci affixi verbis agebant, unacum *Endecassillabo* in Sacramentum Eucharistiæ. Denique carmina vulgavit Alcimii Aviti, ac Marii Victoris, necnon tres libros Historiæ de capta Hierosolyma, quam Apollonius Collectius Navarrensis Sacerdos descripserat. Hi libri pariter Parisiis Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadregesimo typis editi fuere: præter scriptos hosce libros hic idem in Navarenfi Collegio Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo nono interpretatus est Petri Lombardi sententias, aliunde vero ex illius operibus elucet, quantam linguarum peritiam, eruditionis ubertatem, ingenii puritatem ac iudicii soliditatem cum pietatis, ac Religionis studio nexu sane miro conjunxerit.

## §. CIX.

*Margaritæ Navarrensis Reginae mors.*

Hoc item Anno mortua est Margarita Aurelianensis, seu Valesia, A-<sup>l</sup> 6 lensonii Ducissa, postea Navarræ Regina, Regisque Francisci I. Soror. Hæc die undecima Augusti Anno a Christi Nativitate millesimo quadringentesimo

C 2

nona-

Sæcul. XVI.

A.C. 1549.



Sæcul. XVI. nonagesimo secundo Engolismæ nata  
A.C. 1549 in Ludovici XII. Patru sui Aula edu-  
 cabatur, & dein Carolo ex Alençonii  
 Ducibus ultimo, quem Franciscus I.  
 primum Regii sanguinis Principem pro-  
 clamari jusserat, eumque Connestabilis  
 munere honoraverat, in connubii con-  
 sortem tradebatur: eo autem satis fun-  
 cto per eundem Regem Anno Christi  
 millesimo quingentesimo vigesimo septi-  
 mo Henrico Albreto Navarræ Regi, ac  
 Bearnæ Principi desponsabatur, ex quo  
 connubio Margarita Joannam Albre-  
 tam suscepit, quæ postea Antonio Bor-  
 bonio Henrici IV. Regis Patri nupserat.  
 Ceterum eadem hæc Regina liberalium  
 artium peritia insignis tam soluta, quam  
 ligata oratione eminebat, præcipue  
 vero mira argutas inscriptiones excogi-  
 tandi facilitate pollebat: cum autem  
 novæ sectæ erroribus plurimum fave-  
 ret, suo semper patrocínio illos digna-  
 batur, qui ob suas hæreses in Galliis  
 vexabantur, quinimo Neraci Albreten-  
 sis Ducatus oppido infames Viros hæ-  
 reticos Jacobum Fabrum, & Gerardum  
 Rufum perbenigne excepit, a quibus  
 etiam hæresis venenum hauserat. Scri-  
 psit eadem librum Anno Domini mil-  
 lesimo quingentesimo trigesimo tertio  
 Parisiensibus literis excusum, cui titu-  
 lus: *Speculum animæ Peccatricis*, quem  
 tamen



tamen librum Parisina Facultas Theologica proscriptit. Hæc ipsa tam fallacibus utebatur artificiis, ut abs dubio aperte in Galliis Protestantium sectam profiteri potuisset, nisi hæresis progressum petulantia quorundam stolidorum inhibuisset; nam hi contra sanctissimum Evcharistiæ Sacramentum famosos libellos Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto affigere ausi sunt; verum Rex, qui hujus frater erat, sacrilega illorum temeritate exasperatus omnium accerrimus evasit hæreticorum hostis. Eapropter Regina aliam agendi rationem amplexa, ab hæreticis, utpote eorum consiliis adversa palam vituperabatur, a Catholicis vero benigna excusatione adeo defensa fuit, ut non pauci eam a pristinis suis erroribus resipuisse affirmarent. Nec desunt nonnulli Scriptores, qui illam S. Evcharistiæ, ac Poenitentiae Sacramentis ante ejus obitum fuisse munitam testentur: verum ut res se habuerit, id certo constat, illam die vigesima prima Decembris in castro Odofii Bigerronum morte fuisse sublatam, ac Palmi in Bernia sepultam. Ejusdem exequias Carolus Santinathanus supremus Alenconii Præfectus Oratione funebri honorabat, necnon epitaphia in hujus Reginae laudem concinnata in uno volumine

Sæcul. XVI.

A. C. 1549.



Sæcul. XVI. collecta habentur. Scripsisse fertur li-  
 A.C. 1549. brum, cui titulus: *Piæ meditationes ani-  
 mæ Christianæ*, quas Elifabetha Regina  
 Anglice reddidit, ac Londinensibus li-  
 teris excudi curavit (\*).

## §. CX.

*Theodorus Beza Lausannæ Pro-  
 fessor.*

*And. de la  
 Faie vita  
 Theod. Be-  
 zæ p. 9. &  
 seq.*

**N**ova Hæreticorum, qui se reforma-  
 tos dicebant, doctrina eodem hoc  
 anno Lausannæ pariter novum sibi ac-  
 quisivit Professorem Theodorum Bezam,  
 qui præcipuum hæresis fulcrum, ac ve-  
 luti alter hujus Provinciæ Calvinus in-  
 ter adulterinos Reformatores hunc pri-  
 mum dignitatis gradum consecutus est,  
 Is

(\*) Quam piæ ac Catholicæ fuerint hæ  
 meditationes illas conscribens, quam easdem  
 vertens facile cuique indicant, de hac tamen  
 lucubratione dubia est Scriptorum mentio,  
 Thuanus vero natione Gallus ulterius meminit,  
 hæc referens: *Reginæ Navarrensis nomine fa-  
 bellarum volumen imitatione Joannis Bocatii,  
 (infamis nominis memoria) editum circum-  
 fertur, si tempora, & juvenilem ætatem, in  
 qua scriptum est, respicias, non prorsus dam-  
 nandum, sed certe gravitate tantæ Heroinæ,  
 & extrema vitæ minus dignum.*



Is die vigesima quarta Junii Anno <sup>Sæcul. XVI.</sup> post Christum natum millesimo quin- <sup>A.C. 1549.</sup> gentesimo decimo nono Vezeliaci Bur-  
 gundici Ducatus oppido ex nobili ge-  
 nere ortus Patrem habuit Petrum  
 Bezam, Matrem vero Mariam Bur-  
 delotam, ejusque Majores, ut ipse-  
 met Theodorus in Epistola nuncupa-  
 toria, quam suæ fidei professioni  
 Wolmarum missæ præmisit, testatur,  
 per longam generis seriem divitiis a-  
 bundabant, ac plurimis bonis Eccle-  
 sias ditabant: Porro Theodorus cum  
 vix alterum ætatis annum emensus  
 esset, jam a Nicolao Beza Patruo  
 suo, ac Parisiensis Curix Consiliario  
 Lutetiam deferri jussus, ab eodem  
 singulari cura educabatur, ac deci-  
 mum ætatis suæ annum affecutus ab  
 eodem Aureliam mittebatur ad Mel-  
 chiolem Wolmarum natione Germa-  
 num, Virum ad imbuendam juventu-  
 tem præclaris oppido dotibus insig-  
 nem: ibidem igitur Theodorus septem  
 annos moratus in humanioribus lite-  
 ris egregios prorsus progressus fece-  
 rat, cum vero Wolmarus novis erro-  
 ribus esset infectus, Theodorus quo-  
 que a suo Magistro seductus hæreti-  
 cæ doctrinæ propensus esse cæpit.



Sæcul. XVI. Ceterum raris animi dotibus illu-  
 A.C. 1549. stris totus in eo erat, ut Græcos, lati-  
 nosque Scriptores sedula lectione per-  
 volveret, ac carmina pangeret, insuper  
 tam morum suorum comitate, quam in-  
 genii acie omnium eruditorum, quibus  
 cognitus erat, amicitiam mira dexteri-  
 tate sibi conciliabat, pluresque illius æ-  
 vi Poetæ in suis elucubrationibus per-  
 honorificam de eo mentionem fecerunt.  
 Porro Theodorus, cum Aureliæ emen-  
 so jurisprudentiæ cursu annum ætatis  
 agens vigesimum Doctōratus laurea de-  
 coratus esset, poeticæ arti, ad quam ex  
 primævo naturæ beneficio propensus e-  
 rat, totum se dedit, ac quædam epi-  
 grammata, aliaque carmina adeo scite,  
 ut celebris Poetæ nomen emeretur  
 composuit, hujusque scientiæ specimi-  
 na edidit in libro, cui titulus *Juvenilia*,  
 anno Christi quingentesimo quadragesi-  
 mo octavo supra millesimum typis edi-  
 to. Nuncupabat etiam cuncta hæc  
 poemata Melchiori Wolmaro Professori  
 suo, eaque præcipue sunt carmina a Sta-  
 tio *sylvæ* nuncupata, necnon Elegia, E-  
 pitaphia, descriptiones, atque Epigram-  
 mata, in quibus omnibus ecquidem flui-  
 da, sed non raro obscœnissima vena ute-  
 batur.

Absolutis demum studiis Theodo-  
 rus Beza Parisios reversus ibidem Pa-  
 truum



trum suum Curiae Consiliarium jam <sup>Saecul. XVI.</sup> ante septem annos mortuum, atque in <sup>A.C. 1549.</sup> Parochiali Ecclesia ad S. Cosmam anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo secundo sepultum comperit, non sine maximo hujus juvenis damno; nisi enim fideli hoc ductore orbatus fuisset, ejusdem monitis forte in Majorum suorum Religione constans permansisset; quippe hic idem Nepotem suum sacrae militiae destinabat, eidemque praeter quoddam exigui redditus beneficium in Bellojoviensi Diocesi aliud satis pingue jamjam procuraverat. Insuper Theodorus Longi-Gemelli cujusdam coenobii quarto lapide Parisiis dissi Prior renunciabatur, aliasque adhuc dignitates sperare poterat adjutus favoribus alterius Patru sui, nomine Claudii Bezæ, qui Froimontii in Bellovacensi Diocesi Abbas hoc beneficium, quod juxta quorundam relationem quindecim librarum millia ex annuis proventibus reddidit, eidem cedere decreverat. Praeterea ad felicitatis cumulum adhuc dum eo tempore accesserat fratris sui obitus; inde enim plurimum haereditatis portio augebatur: verum hæc ipsa facultatum copia eundem, cui demum Religioni nomen daret, aliquamdiu suspensum tenuit, donec tandem proprii judicii perversitate, atque amicorum sol-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1549. licitatione corruptus exitium sibi pararet, unde e Gallis excedere statuit, & dimisso Longi - Gemelli Prioratu Anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo octavo Mense Novembri Genevam ad Calvinum contendit, ubi, ut refert Bayleus, die vigesima quarta Octobris adveniens, priusquam certum de Religione consilium caperet, veterem Magistrum suum Melchiorem Wolmarum Tubingæ invisit, mutatoque nomine sese Theobaldum de Majo nominari voluit, sui que itineris socium selegit Joannem Crispinum amicum sibi in paucis carum, qui itidem spurium quoddam Martyrologium ad usum Protestantium conscripsit. Hi ambo igitur Genevæ typographiam erigere, illamque suis elucubrationibus percelebrem reddere statuerunt: verum Beza Tubingam reversus consilium mutabat Lausanensium precibus expugnatus, qui eundem rogabant, ut in earum urbe Græcas literas traderet, quod etiam munus per novem annos Theodorus cum ingenti nominis sui fama obibat: durante autem hoc temporis intervallo Abrahami sacrificantis tragœdiam edidit, atque speciatim Psalmorum in rhythmos redactorum versionem, quam Marotus prosequi haud poterat, continuare cæpit, ad id impulsus a Calvino, quem



quem pro more suo sæpius, dum scho-  
larum feriæ agebantur, Genevam con-  
tendens invisit, & ab eo impense fuit  
admonitus, ut ingenii sui vires unice in  
adulterinæ Ecclesiæ obsequium impen-  
deret (\*).

Sæc. XVI.  
A. C. 1549.

§. CXI.

(\*) Mirum fane, quod Continuator in de-  
scribendis spurcissimorum hæreticorum vitis a-  
deo prolixus, in commendandis vero orthodo-  
xæ fidei Doctoribus adeo parcus esse voluerit.  
Quantum enim Reipublicæ literariæ interest,  
si cujusdam scelerati hominis gesta, itinera, &  
scelera perleguntur? quanti autem meriti Vir Beza  
exsiterit, testatur Floremundus Ræmundus, qui  
in sua historia lib. 8. c. 17. fol. mihi 351. hæc  
habet: *Ut intelligatur, quæ caussa ipsum im-  
pulerit, ut hæresim amplecteretur, rem paula  
altius repetam. Inter Poemata Bezæ, Epi-  
gramma legebatur Phaleucii conscriptum ver-  
sibus, quo summum desiderium suum, & amo-  
rem erga Audebertum quemdam Aurelianensem  
testabatur. Curia Parisiensis impudicum ali-  
quid latere rata, juvenem hunc Poetam citari  
jubet. Is vero innocentia suæ forte diffusus,  
etiam se subducit, vendito Prioratu pro mille  
circiter, & ducentis scutatis, ac Genevam abiit,  
abductis secum Claudia (id enim Candidæ ver-  
sibus tantopere celebratae verum nomen erat)  
sutoris cujusdam Parisiensis uxore: quam dein-*  
de



Sæcul. XVI.

A. C. 1549.

§. CXI.

*Diffidia inter Lutheri Sectatores circa  
Decretum Interim.*

*Sleid. comm. lib 21. p 758.*  
*Bossuet hist. des variat. tom. 1. liv 8. n. 15. p. 466.*

Magis adhuc celebre reddebatur Calvini Nomen per ipsum consilium, quod a Lutheri sectatoribus rogatus dede-

de uxorem duxit. Genevam non multo post ad eum venit Robertus Joannis Biberii civis Congemeldensis, ubi Prioratum habuerat Beza, filius. patrem suum turpiter, ab ipso deceptum querens: sed præter verba, ac promissiones nihil domum retulit. Ne vero hujus Scriptoris utpote ex Calvinii Hære ad Romanæ Ecclesiæ ovile reversi testimonium Novatoribus suspectum videatur, operæ pretium erit ipsius Lauræ, qui Bezæ Collega erat, verba percipere: Postquam Beza, inquit ille, omnibus flagitiis se polluit, suamque ipse infamiam verbis suis divulgavit, etiam vicini uxorem corruptit, venditisque Ecclesiasticis, quæ habebat, beneficiis, non tam persecutionis, quam pœnæ metu, una cum illa aufugit. Antequam vero discederet, villicos suos decepit, quæ res nobis in Possiacensi colloquio multum negotii exhibuit; siquidem vidua quædam cum liberis suis eo venerat, a Bezæ ac alienum per fraudem contractum repetens, cujus rei expediendæ negotium mihi datum fuit. Vidua illa mihi tum dixit, se ac mari-



dederat; inter hos enim, qui *Lutherani* Sæcul. XVI. A.C. 1540  
*rigidiores* appellantur, necnon inter *A-*  
*diophoristas*, seu *Indifferentes* hoc anno in  
 Saxoniae Ecclesiis ingens exorta est dif-  
 fensio, occasione nata ex decreto *Inter-*  
*rim*; quippe Lubecensis, Luneburgensis,  
 ac Hamburgensis Ecclesiae Ministri Au-  
 gustanum hoc decretum prolixa confu-  
 tatione typis edita rejiciebant, ac pau-  
 lo post Magdeburgenses Theologastri  
 Nicolaus Amstorfius, Matthias Flac-  
 cius Illyricus, & Nicolaus Cocquus Wit-  
 tembergensibus, ac Lipsiensibus vehe-  
 menter se opposuerunt, eosque in plu-  
 ribus

---

*maritum plusquam mille & ducentis libris Gal-*  
*licis esse defraudatos.* His haud abs re sub-  
 jungi possunt ea, quæ Heshusius Lutheri se-  
 ctator de eodem scripsit, aitque, *Bezam non*  
*adolescenciam modo per illicitos amores, adul-*  
*teria aliaque flagitia turpiter exegisse, sed illa*  
*ipsa scriptis quoque, & versiculis divulgasse,*  
*atque gloriam inde quæfisse. incredibilem esse*  
*mostrum hujus impudentiam, cujus turpis, atque*  
*impia vita per Cynica illa, impura, & dete-*  
*standa Epigrammata toti Galliae innotuerit*  
*eundem tamen si loquentem quis audiat, san-*  
*ctum aliquem eremitam, aut alterum Jobum*  
*immo ipso Paulo Apostolo majorem videri, sic*  
*illum exilium suum, labores, vitæ integritatem,*  
*ac sanctitatem laudare.*



Sæcul. XVI. A. C. 1549. ribus editis opusculis accusarunt, quod diffimulata veritate per attentatas concordiae vias Pontificiae Religioni aditum patefacerent. Hi iidem istam stabilierunt Regulam, quod omnes caeremoniae, omnesque ritus, quantumvis ex se nec boni, nec mali sint, non jam indifferentes maneant; cum impietati ansam præbeant. Ceterum idem Illyricus aliquamdiu Melanchtonis discipulum sese profitebatur, mota tamen hac dissensione Magdeburgum secessit, ubi suam agendi, ac sentiendi rationem edito libello vindicare nitebatur; pariter Magdeburgenses datis literis ad Wittembergenses, & præcipue ad Melanchtonem fusiori calamo recensebant ea, quæ nec bona nec mala seu indifferentia vocantur, simulque declarant, quænam ex illis admitti valeant. Denique eosdem rogabant, ut & ipsi, quid sub hisce vocibus intelligant, exponerent, ut tandem, quænam credenda sint, dignosci, ac firma sententia absque ulteriori variatione adoptari possint; verebantur enim, ne eorum Sectatores in novos errores sub obtentu rei mere *indifferentis* præcipites ruerent. Verum huic epistolæ Melanchton respondens agebat, dari servitatem, quæ æquo animo toleranda, dummodo ab omni impietate sit aliena.

§. CXII.



## §. CXII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.*Calvini sententia circa hoc dissidium  
expetita.*

Occasione ex hoc dissidio nata Lutheri Sectatores Calvino scribebant, supplices, ut hac super re mentem suam libere aperiret; quod etiam præstitit, Melanctonem admonens, ut sui Officii haud immemor esset: cum autem idem nimiae indulgentiae a nonnullis infimularetur; hinc Calvinus remature discussa illum hoc probro per nefas vexari comperit, hancque accusationem nonnisi ex perverso calumniandi animo, ac dolosis Illyrici artibus profectam censuit: verum eoquod per hanc Calvinus decisionem bellum inter Adia-phoristas, atque Interimistas adeo non sedaretur, ut potius resuscitatis controversiis præcipue de Eucharistia magis, magisque accenderetur, hinc nonnulli Calvinum consubstantiationi favere arbitrabantur; unde Tigurinis Zwinglii Discipulis, quibus mortuo Zwinglio Bullingerus præerat, novum indignationis argumentum fuit suppeditatum: Ea-propter Tiguri inter ipsos hujus Ecclesiae Ministros, ac Genevenses Pastores colloquium indicitur, cui etiam Calvinus, & Farelus intererant, ac tandem post

*Beza in vita  
Calvini ann.  
1549.*



Sæcul. XVI. post crebras altercationes decidebant, quod Tigurinorum sententia a ceterorum opinione haud differret. Ergo approbantibus Helvetiis, ac Grisonibus concordia stabilitur, atque inter Geneveses, & Tigurinos, necnon inter Bullingerum, & Calvinum tam arcta inicitur amicitia, ut hæc unio hodieum adhuc subsistat.

## §. CXIII.

*Calvini epistola Tigurum missa ad Lelium Socinum.*

*Beza in vita Calvini.* Sub idem tempus Calvinus duas epistolas admodum doctas perscripsit ad Lelium Socinum tum Tiguri agentem, qui primus Socinianæ sectæ Auctor evasit. Hic filius erat Mariani Socini, neposque alterius Mariani Socini percelebris jurisconsulti, qui primo Patavii, ac postea Senis cum ingenti omnium applausu Juris Pontificii scientiam tradebat, ac demum ad Pium II. Pontificem ablegatus ab eodem sacri Senatus Advocatus renuntiabatur, haud vulgaribus benevolentiae signis exceptus. Ceterum Lelius Socinus Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto Senis natus, ac maturiorem ætatem attingens a Patre suo ad jurisprudentiæ studium destinabatur: verum ipse jam tum Religionem mutandi



di consilium ceperat, falso persuasus, Sæcul. XVI. A.C. 1549.  
 quod Romana Ecclesia plura fidei ad-  
 versa traderet; præprimis ergo genui-  
 num sacræ Scripturæ sensum investiga-  
 re nitebatur, in quo tamen studio hor-  
 rendum in modum a veritatis semita  
 deviavit, postea Græcæ, Hebraicæ, imo  
 & Arabicæ linguæ operam navans  
 præcipiti consilio ex Italia secessit, ad  
 Protestantium Regiones profecturus, ut  
 eo liberius perniciosas juxta, ac hæreti-  
 cas eorum opiniones ibidem palam pro-  
 fiteri posset, cum in sua patria latens  
 hæresis suæ venenum aperte effundere  
 haud valeret, quin sese ingenti periculo,  
 malisque sibi abs dubio fat funestis ex-  
 poneret.

## §. CXIV.

*Metensis Antistes suo Episcopatu  
cedens.*

Referunt Historici, quod eodem ferme Strid. comm l. 21. p. 754.  
 tempore Nicolaus Lotharingus Me-  
 tensis Episcopus, ac Antonii Lotharin-  
 gii, & Barrensis Ducis, necnon Valde-  
 montii Comitis filius suum Episcopatum  
 dimiserit, ut hoc anno die prima Maji  
 Margaritam Egmontiam Joannis III.  
 Egmontii Comitis, ac Franciscæ Luxem-  
 burgicæ filiam sibi in uxorem adlegeret.  
 Hoc igitur eventu Metensis Episcopa-  
 tus Cardinali Lotharingio cessit.

*Hist. Eccles. Tom. XL.* D §. CXV.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

§. CXV.

*Regii Senatus Sessiones in Anglia.*

*Burnet hist. reform. tom. 2. lib. I. p. 144* Interea Reformatorum secta semper in Anglia altiores egerat radices; quippe Regius Senatus a vigesima quarta Novembris die anni prioris congregatus rursus convenire jubebatur infra tempus, quod diem vigesimam secundam Decembris, ac secundam Januarii currentis anni post Christum natum millesimi quingentesimi quadragesimi noni interfluebat: die autem septima ejusdem Mensis *Communium*, ut vocant, Curia Protectori libellum supplicem porrigebat, quo Latimerum Vigornienſi Episcopatu suo reddi petebat: verum in irritum ceciderunt eorum preces. Quarta demum Februarii die Cantuariensis Episcopus, necnon Heliensis, ac Ciceſtrienſis Antistites quamdam legis formam discutere jubebantur, vi cujus tam in jejunio verno, quam ceteris abſtinentiæ diebus carnis vesci erat vetitum; iis igitur sententiam suam exponentibus Senatores præcipiebant, ne feria sexta, Sabbato, ac quatuor temporum diebus, in quadragesima, vel aliis diebus esurialibus carnes comederentur, hæcque lex in usum deduci inciperet die prima proximi Mensis Maji.

Equi-



Equidem hoc statutum ex pio corpus Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.  
 macerandi, aut pœnitentiam exercendi  
 studio minime fuit latum, sed unice ob  
 turpi lucri spem id fiebat, prout ipsa hu-  
 jus decreti verba testantur, dum palam  
 declaratur, quod jejunii verni usus ad  
 augendum piscationis commercium, nec  
 non ad armenta certo anni tempore  
 conservanda oppido necessarius sit, (\*)  
 infirmis tamen, debilibus, aliisque, ob-  
 tenta prius Regis venia, hujus legis gra-  
 tiam fieri erat permixsum, ac insuper  
 hujus decreti transgressores non nisi e-  
 voluto tertio Mense post commissum  
 delictum ad iudicium vocare licebat.  
 Præter hanc legem varia adhuc decre-  
 ta proponebantur, quæ tamen omnia  
 fuere rejecta. Tandem proponebant alii,  
*juris consuetudinarii* Codicem esse confi-  
 ciendum, ast hoc quoque consilium ef-  
 fectu caruit (\*\*).

## §. CXVI.

(\*) En diabolicam hæresis tyrannidem,  
 quæ suos alumnos gravium legum vinculis ob-  
 temporalem quæstum ligat, omni tamen meri-  
 to, ac vitæ æternæ præmio spoliât, unde me-  
 rito Deum exorare debemus hac precatone:  
 a Tyrannide hæresis (non autem Pontificis)  
 libera nos Domine.

(\*\*) Ita nempe Pseudo - politici ferventi-

D 2 bus



Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.

§. CXVI.

*Archithalassus Protectoris Frater  
Regis gratia excidens.*

*Burnet. l. c.  
p. 149.*

*Sander. hist.  
schism. Angl.  
l. 2.*

Præ reliquis majoris longe momenti decretum condebatur, propter quod Archithalassus Protectoris Frater vitam jaecturam subire cogebatur; quippe emensis circiter sex hebdomadibus post Henrici VIII. obitum idem hic Anglicæ classis Præfectus præfati Regis Viduam sibi desponsaverat, quamvis nuptiæ non nisi elapsis aliquot Mensibus celebrarentur, ut interea eidem sese in muneris sui auctoritate firmiter stabiliendi spatium indulgeretur; cum vero Mense Septembris Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo hic idem uxore sua orbatus esset, Elisabetham defuncti Regis Filiam ducere constituit, eoquod jam dudum vehementi prorsus amore eandem deperiisset: Itaque vel ab eadem se repulsam minime laturum existimans, vel forte cupiditatis vehementia excæcatus Elisabetham adit,  
mox-

bus tumultibus nil nisi nova consilia, vulgo Project, fabricare satagunt, quibus sensim de fidelium cordibus Religionem eliminant, ac Principum æraria exhauriunt.



moxque animi sui propositum eidem Sæcul. XVI.  
 manifestat. Interea Protector rem A.C. 1549.  
 edoctus haud obscure præsenferat, quod  
 eius Fratre ad solium evecto, ipse omni  
 potestate penitus exueretur, aut saltem  
 ipsius auctoritate valde imminuta Pro-  
 tectoris munus ad inane nomen redige-  
 retur, hinc conceptis ejusmodi nuptiis  
 se toto studio opponere statuit. Hanc  
 in rem Senatam eo adegit, ut legem  
 conderet, vi cujus perduellionis reus,  
 ac omnibus suis bonis proscrip-  
 tus declararetur, quicumque absque Protec-  
 toris, regique Senatus consensu ullam ex  
 Eduardi Regis Sororibus ducere præ-  
 sumeret. Cum ergo Archithalassus om-  
 nes spes suas hac lege everfas cerne-  
 ret, suumque fratrem totius infortunii  
 sui Architectum nosset, improvido pror-  
 fus consilio Regem surripere, atque  
 Holdam ad arcem suam, villamque ab-  
 ducere decrevit, hac vi a juvene Rege  
 consensum extorsurus, vi cujus ipsomet  
 præsentem Elisabetham ducere, fratrem-  
 que suum Protectoris munere exuere,  
 sibimetipsi vero supremam rerum sum-  
 mam vindicare posset. Hoc itaque con-  
 silium executurus collectis undique ar-  
 mis decem peditum millia contraxit,  
 ac diploma promulgavit, in quo acer-  
 bius mala, quibus Regnum per Protec-  
 toris violentias premitur, necnon ser-



Sæcul. XVI  
A.C. 1549. vitutem, qua universi affliguntur, deplorat, simulque illum infimulat, quod tot exteras copias eo duntaxat ex fine alat, ut Tyrannidem suam adversus Angliæ Regnum impune exercere, illudque pro summo imperio usurpare posset.

## §. CXVII.

*Architalassus captus, ac in Turrin  
abductus.*

**H**oc obtentu Procerum non paucos supremus hic Regiæ classis Præfectus ad sua pertraxit studia, præcipue cum nonnullis Senatoriam dignitatem, aliis vero publica munia sponderet. Equidem Protector fratrem suum de periculo, in quod se præcipitem ageret, frequentius admonuit, cum autem eundem in suo proposito obfirmatum, ejusque ambitionem nullo ultra remedio sanandam cerneret, mandatum edidit ab universo Senatu subscriptum, vi cuius Architalassus ad Londinensem Turrin captus abstraheretur: Altera igitur die eidem muneris sui sigilla tolluntur, eaque Nobili cuidam nomine Smith, qui a secretis Regi erat, traduntur, & postea querelæ, atque accusationum capita contra eum certatim proferuntur, illique præprimis exprobat, quod seditionem in regno concitare, Regemque



gemque vi abstrahere molitus esset. Ex-  
 cipiuntur ergo horum criminum testes, Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.  
 ac iudicii acta usque ad decimam octa-  
 vam Februarii diem protrahuntur, pro-  
 latis in eum, probatisque triginta tribus  
 accusationum articulis. His ita instru-  
 ctis conscripti regii Senatus Patres Tur-  
 rim accedunt, reumque ad regii cubi-  
 culi Aulam produci jubent, ubi mox  
 Cancellarius singula ordine suo accusa-  
 tionum capita prælegit, rogans, ut si-  
 ne verborum ambagibus ad hæc respon-  
 deret: verum ipse responsi loco juxta Re-  
 gni leges, vi quarum accusatores coram  
 reo sisti jubebantur, judicari adeo con-  
 stanter petiit, ut nulla alia responsio  
 ab eo extorqueri posset. Altera die  
 rursus Senatores ritu solemni una omnes  
 convenere, Regem de tota rei gestæ  
 ferie edocturi; tandem servatis omni-  
 bus de more solemniis ad rei conde-  
 mnationem procedebatur.

## §. CXVIII.

*Classis Præfæctus capite damnatus.*

Instituta igitur hujus causæ cognitione Burnet l. r.  
tom. 2. p. 153.  
Sleid. comen.  
lib. 21. p. 755.  
 omnes Judices unanimi suffragio de-  
 clarabant, quod spectatis accusationum  
 articulis Architalassius læsæ Majestatis  
 reus esset. Hujus sententiæ formula  
 die vigesima septima ejusdem Mensis

D 4 ad



Sæcul. XVI. ad communis Curiae Senatores trans-  
A.C. 1549 mittebatur, quorum tamen plures agen-  
 di rationem, quam Procerum Senatus  
 hac in re tenebat, minime ratam habe-  
 bant, petentes, ut hic Præfectus juxta  
 solita legum præscripta judicatus ad  
 Bancum juris, ut vocant, deduceretur,  
 ac omnia, quæ ad tuendam suam inno-  
 centiam proferre posset, exciperentur;  
 cum vero Rex Præfecti præsentiam mi-  
 nime necessariam fore reponeret, ferme  
 quadringenti Deputati condemnationis  
 sententiam approbarunt. Porro cum  
 quinque omnino dies re infecta absume-  
 rentur, supremus Procerum ordo hujus  
 judicii executionem urgeri a Rege pe-  
 tebat, quibus tamen Rex hæc in respon-  
 sis dedit: vestrum erit sententiam exe-  
 qui, nec ultra hac super re mihi mole-  
 sti sitis. Accepto hoc responso Helien-  
 sem Episcopum ad turrim ablegant,  
 ut captum Archithalassum ad proxi-  
 mam mortem disponeret: interea vero  
 omnes Angliæ Pares, nequidem Can-  
 tuariensi Archiepiscopo, ac Protectore  
 exceptis latæ subscripserunt sententiæ,  
 vi cujus in Turris foro Præfectus die  
 decima Martii, vel juxta Sleidanum vi-  
 gesima capite plexus est. Hic denique  
 funestus erat exitus Thomæ Seimeri,  
 qui mari, & classi regis præpositus in-  
 genii quidem acie præstantissimus, exi-  
 gui



gui tamen iudicii, ac violentæ indolis, Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.  
præcipue vero immoderatæ ambitionis  
Vir erat. Ceterum iniquo prorsus ani-  
mo ferebant omnes, quod Cranmerus,  
cum tamen esset Archiepiscopus, mortis  
sententiam suo chirographo firmasset.

## §. CXIX.

*Nova rituum norma in Angliæ regno  
stabilita.*

Regius Senatus, postquam quædam  
subsidia Regi concesserat, a decima  
quarta Martii usque ad quartam Novem-  
bris diem fuit prorogatus; ibidem vero  
editis quibusdam statutis melodia dein-  
ceps in Officii Divini cantu servanda  
præscribebatur, simulque nonnulli ab-  
rogabantur ritus, atque inter eos præ-  
cipue Altare exosculandi, signum S.  
Crucis efformandi, sacrumque Codicem  
ab uno Altaris latere ad aliud defe-  
rendi consuetudo fuit abolita, populo-  
que injunctum, ne deinceps ea precan-  
di formula, quam vulgo rosarium ap-  
pellant, uteretur; cumque Sacerdotum  
non pauci adhucdum clam Missæ fa-  
crificia pro Defunctis offerrent, simulque  
sibi quemdam, qui S. Synaxin fumeret,  
assistentem haberent, ne pænas nupero  
decreto sancitas incurrerent, hinc præ-  
ter tricesimi, ut vocant, diei Missas,



Sæcul. XVI. A.C. 1549. prohibitum fuit, ne sæpius quam unica vice per diem S. Synaxis distribueretur, exceptis Paschatis, ac Nativitatis Dominicæ festivitibus: insuper inhibitum, ne intra Ecclesiarum circuitum durante re sacra, quicquam ematur, vel vendatur. Hæc fuere mandata illis data, quos Rex regnum visitare jusserat, eosque inter Cranmerus suam lustrabat Provinciam; Londinensis vero Episcopus rem ita agere a Senatu erat jussus, ut ejus Ecclesia Cathedralis ad D. Paulum ceteris exemplo esset, ibidemque non nisi unica Missa in honorem Sanctorum celebraretur, qua durante etiam in summo Altari non nisi unica fieret communio. Hæc itaque nova Liturgia communi omnium consensu ubique recipiebatur.

## §. CXX.

*Maria Regis Filia sese his novitatibus submittere recusans.*

*Burnet. hist. de la reform. tom. 2. l. 1. p. 157.* Sola supererat Maria Henrici VIII. Filia, quæ Sacrum Missæ Officium palam in suo Palatio pro more antiquo celebrari jubebat. Equidem hac de re ingens ei molestia creabatur, & Regis Curia, cujus auctoritatem ipsa sollicitè declinabat, illam eo adigere nitebatur, ut sese hisce statutis æque, ac ceteri subditi



subditi subjiceret: hanc ut ab ea obedi- Sæcul. XVI.  
 dentiam extorquerent, Cantuariensis A.C. 1549.  
 Archiepiscopus, ac Bucerus, qui jam ab  
 Anno priori in Anglia agebat, sæpius  
 illam visum ibant, verum frustranei e-  
 rant omnes illorum conatus; illa enim  
 de temerariis Ministrorum ausibus gra-  
 viter quæsta declarabat, quod eorum le-  
 gibus nunquam morem gestura esset,  
 cum nulli illorum subdita sit: postea ad  
 Cæsarem quantocius Nuntium ablega-  
 bat, supplex, ne contra conscientia suæ  
 leges agere cogere, interea vero Mi-  
 nistris eam sollicitantibus responsi loco  
 hæc duntaxat dixit: Ex Regis Patris  
 mei jussu in Religione Catholica fui  
 enutrita, atque educata, cum autem pri-  
 mæ meæ educationi moderna etiam-  
 num voluntas mea omnino correspon-  
 deat, nihil me ab animi mei sententia,  
 ac fidei constantia avertere poterit. I-  
 dem quoque reposuit Eduardo Regi, qui  
 illam hac super re convenerat; qua-  
 propter semper cum majori, quam an-  
 tea populi concursu rem divinam in suo  
 Sacello peragi jussit.

## §. CXXI.

*Examen articuli de præsentia reali in  
Anglia institutum.*

Cum hi novatores recentem spuria Burnet l. c.  
 suæ reformationis fabricam adhuc- p. 158.  
 dum Sleid. p. 762.



Sæc. XVI.  
A.C. 1549.

dum arenæ impositam cernerent, nisi prius doctrinæ, quæ omnes præcipuos Religionis articulos complecteretur, systema stabilirent, hinc potissimam anni partem discutiendis pluribus, ac specialibus articulis sacrabant, præcipue vero examinandam suscipiebant realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia. Hujus argumenti discussio demandabatur Petro Martyri patria Florentino, cum autem ipse Zwinglii sectator esset, doctrina quoque ab eo proposita ad tria hæc capita reducebatur. *I. Non transmutatur substantia panis, & vini: II. Corpus, & Sanguis Christi non est carnaliter, seu corporaliter in pane, & vino, III. iis unitur sacramentaliter: id est, duntaxat in figura, aut, si amplius dici potest, in virtute.* Bucero, qui pariter in Angliam venerat, non probabatur secunda Petri propositio; contendebat enim, localem quidem præsentiam esse excludendam, non item *corporalem, ac substantialem*, eoquod, inquit ipse, Christus Dominus a Coena separari nequeat, talique modo in cælo præsens sit, ut tamen *substantialiter* ab Eucharistia non absit. Ex adverso Petrus Martyr commenti loco habebat, si in cœna corporalis, ac substantialis adstruatur præsentia, quin simul eadem *realis* præsentia a Catholicis tradita admit-



admittatur, unde quamvis ex cunctis Protestantibus unicum veneraretur Bucerum, nihilominus haud adeo complacendi studio sese abripi patiebatur, ut ejusdem sententiæ adhæreret.

Sæc. XVI.

A.C. 1549.

## §. CXXII.

*Oxonienſis diſputatio prævalente Petri Martyris opinione.*

Hac ſuper re Oxonii, ac Cantabrigiæ publicæ habebantur diſputationes, quodam Doctore nomine Smithæo Petrum Martyrem provocante, ut legitimo intereſſet colloquio, ubi hæc quaſtio diſcuteretur. Equidem Petrus hanc in ſe provinciam necdum conſulto Rege, ejuſque Senatu ſuſcipere renuebat; obtenta autem utriuſque licentia a Senatu Deputati nominantur, qui diſputationi præeſſent. Verum Smithæus quodam negotio a deſſe præpeditus in Scotiam, ac inde in Flandriam auffugere cogebatur. Nihilominus Petrus Martyr ſuam opinionem pertinaciter tuebatur præſentibus Deputatis, qui erant præter alios quosdam Lincolnienſis Epiſcopus, Coxus Doctör, atque Univerſitatis Cancellarius. Cum ergo propoſitiones a pluribus impugnarentur, Petrus Martyr eas propugnabat, moxque juxta ejus ſententiam fidei forma  
fuit

Boſſuet hiſt.

variat. to. I. l.

7. n. 82. p. 425

Sanderus de

ſchiſm. Angl.

l. 2. p. 279.



Sæcul. XVI. fuit edita, in qua dicebatur: *Corpus Christi*, cum nullibi sit nisi in cælo, non potest simul realiter esse præsens in diversis locis, proin nulla statui debet Corporis, & Sanguinis Christi præsentia realis, vel corporalis in Eucharistia. Porro eadem hæc fidei professio postmodum rursus mutata fuit per alios Deputatos, qui unacum Ridleyo eorum principe Cantabrigiam fuerunt ablegati. Hi publicis disputationibus die vigesima, vigesima quarta, & septima Junii habitis intererant, in quibus hæc duæ propositiones agitabantur „ I. Ex claris, certis, que Sacræ Scripturæ textibus transubstantiatio comprobari nequit, imo eadem nec ex illis per necessarias conclusiones deduci valet, nec etiam Patrum auctoritati innititur. II. Eucharistia non aliud continet Sacrificium, & oblationem, quam Sacrificium gratiarum actionis, & commemorationis passionum Christi Domini. „ Habitis denique tribus sessionibus, hocque argumento ultro, citroque agitato tandem Ridleyus non dari præsentiam realem pronuntiabat.

§. CXXIII.

*Catholici in Anglia dire vexati.*

*Sanderus l.*  
*2. p. 282.*

Cum Angli immoto studio Orthodoxam fidem semper ab eo tempore servaf-



fervassent, quo Sanctus Augustinus Ord. Sæcul. XVI.  
 S. Benedicti Monachus Christianæ reli- A. C. 1549.  
 gionis lumen huic regno intulerat, nunc  
 per ejusmodi definitiones fidei puritati  
 tantopere adversas Catholicos acerbis-  
 simis vexationibus opprimere cæperunt,  
 quamvis Episcopi, qui antea regnante  
 Henrico VIII. sese errorum torrente ab-  
 ripi patiebantur, nunc Domini Dei caus-  
 sam singuli magna fortitudine, ac con-  
 stantia tueri aggredierentur; saniora e-  
 nim edocebantur per inopinatos æque,  
 ac fatales ignaviæ suæ successus, ac i-  
 psa culpæ gravitas tandem eos sapere  
 docuit. Verum Edmundus Bonnerus  
 Londinensis Episcopus, Stephanus Ga-  
 dinerus Vintoniensis, Tonstallus Dun-  
 helmensis, necnon Nicolaus Hethus Vi-  
 gorniensis ob fidei Catholicæ defensio-  
 nem suis sedibus pulsi in vincula conji-  
 ciebantur, potissimi ceterorum Præ-  
 sulum se ultroneo exilio mulctabant.  
 Inter hos primus erat Joannes Storæus  
 Jurisprudentiæ Doctor, qui postea Mar-  
 tyrii corona regnante Elisabetha deco-  
 ratus obiit. Ejusdem quoque exilii ca-  
 lamitatem postea subire cogebantur  
 Joannes Clemens eximius artis Medi-  
 cæ Doctor, græcique idiomatis peritia  
 clarissimus, necnon Guilielmus Rastal-  
 lus Jurisconsultus celeberrimus, & An-  
 tonius Harpesfeldus præter Antonium  
 Bon-



Sæcul. XVI. A.C. 1549. Bonvisium patria Lucensem, qui com-  
mercii studio in Anglia sedem fixerat,  
suaque morum probitate, & fidei inte-  
gritate Thomæ Mori Cancellarii amicitiam  
sibi conciliaverat, nunc vero unacum  
uxore ac liberis suis Lovanium,  
quod tum commune Anglorum ob fidei  
confessionem afflictorum asylum erat, ex  
Anglia emigrare compellebatur.

## §. CXXIV.

*Anabaptistæ in Anglia exagitati.*

*Burnet hist. de la reform. l. 1. tom. 2. p. 168. Et suiv.* Cum Anabaptistæ tumultibus in Ger-  
mania ferventibus agitati magno  
numero in Angliam confluerent, ibidem  
fatum ipsis Catholicis haud mitius su-  
bire coacti sunt; nam nominabantur Ju-  
dices, qui in eos judicii acta instrue-  
rent, præcipue vero Cantuariensis Ar-  
chiepiscopus, ac Episcoporum nonnulli  
unacum quibusdam Doctõribus tam in  
hos, quam in omnes, qui novam Litu-  
rgiam carpebant, inquirere inceperunt,  
eos vero, quos Anabaptistarum errori-  
bus infectos deprehendebant, ad suam  
sectam inducere nitebantur, illosque,  
qui obstinato animo suæ hæresi adhære-  
bant, a fidelium communione separatos  
profanæ judicum potestati tradebant  
severissimis pœnis excruciantos. Hos  
inter Joannes Bocherus sub nomine  
Joan-



Joannis de Kent die secunda Maji ad Sæcul. XVI.  
 rogum damnatur, alius vero Anaba- A.C. 1549.  
 ptista nomine Georgius Van-Pare, quod  
 Deus Pater solus, non vero Christus sit  
 verus Deus, affirmasse accusatus, cum  
 palinodiam canere renueret, eodem sup-  
 plicio perimitur; ceteri denique Ana-  
 baptistæ, qui duntaxat parvulorum ba-  
 ptisma rejiciebant, minori pœnarum fe-  
 veritate plectebantur, ac diversi edebantur  
 contra eos libelli, quos tamen  
 ipsi opposito responso confutabant; (\*)  
 &

(\*) Abs dubio mirabitur Lector, quod Con-  
 tinuator nunquam Inquisitionis rigorem su-  
 gillare ausus sit, quando hæretici in hæreti-  
 cos ob sectæ, ac errorum diversitatem ejus-  
 modi pœnas irrogabant, num forte levius cri-  
 men est, causam Dei, ac veram Christi fidem  
 impugnare, quam hæresin? num forte hæc  
 pœnarum severitas tunc solum æqua, & lau-  
 dabilis est, quando de tuenda quadam Secta  
 orthodoxæ fidei adversa agitur? num licet  
 tunc libertatem conscientiæ pœnarum metu  
 coercere, ac violare? an fors Christi lex in sa-  
 crilegos Dei, & Ecclesiæ hostes animadver-  
 tendi potestatem solis hæreticis, non autem Ca-  
 tholicis concessit? Non ergo hujus judicii fe-  
 veritas adeo displicere, quam Pontifices, quos  
 illius Auctores fuisse existimat, convitiandi  
 ansa inde captata placere videtur.

*Elis. Eccles. Tom. XL.*

E



Sæcul. XVI  
A.C. 1549.

& si verum fateri fas est, nullos ferme alios errores præter hos Angli confundendos susceperunt. Pariter in Anglia aliquantulum corrigebatur Prædestinationis dogma, eo fine, ut expeditius impugnare possent illorum opinionem, qui hujus dogmatis veritatem in perversum sensum detorquentes inde abominandas prorsus doctrinas deducebant, quas inter sequens prorsus insana est: si omnia, inferebant ipsi, in Dei decretis sunt conclusa, cum hæc immutari nequeant, homines penitus sese illis relinquere possunt, quin ea adhibere media adlaborare teneantur, quæ tamen sacræ Paginæ, Religio, imo & ipsa humana prudentia ad consequendam gloriam, malumque evitandum deposcunt; ex quo perverso dogmate ortum traxerat, quod eorum nonnulli in summam impietatem, alii vero in desperationem præcipites ruerent.

## §. CXXV.

*Seditiones in variis Angliæ Provinciis Religionis causa suscitata.*

*Burnet l. c.  
p. 715.  
Sander. l. c.  
p. 273.*

Eodem hoc anno Regis Protector in armis præsidium quærere cogebatur, ut plures Provincias præcipue vero Cornubiensem, & Devoniensem, quæ pro



pro tuenda fide arma sumpserunt, rur-  
 fus ad officium redigeret; nam hi popu-  
 li iniquo prorsus. animo ferebant, quod  
 eorum infantes non jam avito, & pa-  
 trio, sed novo prorsus, ac insolito ritu  
 sacro fonte abluerentur, necnon abroga-  
 to Missæ sacrificio, Altaria destrueren-  
 tur, & sacræ imagines pedibus procul-  
 catæ jacerent: Igitur sacrilegos hosce  
 ausus ulturi primo plusquam decem ho-  
 minum millia contrahunt, crescente au-  
 tem indies suorum exercitu Exoniensem  
 urbem obsident, ac quamdam civitatis  
 portam subiecto igne comburunt: ve-  
 rum Russelus Nobilis conjuratos ab ur-  
 be depulit, cunctosque dissipavit. Eo-  
 dem tempore populares fuscitabantur  
 Tumultus in Norfolciensi, Eboracensi,  
 Suffolciensi, & Sommerfetana Provinciis  
 tum ob tuendæ Religionis studium, par-  
 tim ob vexationes Procerum, qui horum  
 pauperum agros injuste possidebant, at-  
 que ad plebis injuriam circumseptos  
 usurpabant, quin damnum illis illatum  
 ullo pacto resarcirent: hinc agricolæ  
 suorum armorum violentiæ confisi se-  
 pes disjiciunt, palos, quibus agri cin-  
 gebantur, evellunt, ac piscinas aquis  
 destituunt, necnon quasdam arces ex-  
 spoliant, quinimo nonnullos etiam Pro-  
 ceres trucidant. Verum paulo post  
 furentium rabies deserbuit, postquam

Sæcul. XVI.

A.C. 1549.

Sleid. l. 6.

p. 765.



**Sæcul. XVI.** Protector ad publicam tranquillitatem  
**A. C. 1549.** Regno reddendam ubique condonati  
 criminis tabulas divulgari præcepit.  
 Hæc autem delicti venia die vigesima  
 prima Mensis Augusti data est, a qua ne-  
 quidem capti, quos tamen ad cetero-  
 rum terrorem punire decreverat, ex-  
 cludebantur.

## §. CXXVI.

*Angli a Gallis invasi.*

**Belle. comm.** **H**orum tumultuum opportunitate u-  
**lib. 25.** fus Henricus Galliarum Rex An-  
**Sleid. p. 765.** glos terra, marique invadere statuit, i-  
 pfusque cum valido exercitu Bononien-  
 sem Provinciam adorsus cunctas occu-  
 pavit arces, quas ad muniendum Bono-  
 niæ oppidum Angli circumcirca constru-  
 xerant, earumque præcipuæ erant Valla-  
 qua, Blancometium, & Lamberti - Mons,  
 ceteras vero illi hostium prædæ vel  
 ultro cesserunt, vel pactis conditioni-  
 bus dederunt: priusquam tamen hæ ar-  
 ces in Gallorum potestatem traditæ fue-  
 rant, navale prælium inter utramque  
 Nationem prope Insulam Cæsaream  
 commissum est, Gallis victoriam refe-  
 rentibus. Post hæc Henricus Rex Bo-  
 noniensi Urbi exercitum suum admovit:  
 verum lue contagiosa ejus copias depa-  
 scente, inde recedere, atque obsidionis  
 curam



curam Castellonio relinquere cogebatur. Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.  
Hic urbem usque ad autumnii tempus continuato studio quatiebat, cum vero procellis assidue effusis obsidionis difficultas indies cresceret, ac hyemis asperitas jamjam ingrueret, omnes urbis aditus milite cingere, omnemque com-  
meatus invehendi opportunitatem præcludere constituit.

## §. CXXVII.

*Angli profligati Hedinam ultro  
cedunt.*

**I**nsuper in Scotia Anglorum res multum erant inclinatæ; Thermus enim, quem Franciæ Rex eo decreverat, ante hyemis initium Brugshtiensem ar-  
cem occupavit, ac præfidiarios ferme omnes jugulari præcepit. Sub idem tempus Angliæ Senatus plures, qui in Meridionalium Provinciarum finibus præerant, urbium Governatores commutavit, cumque Bowerus Eques accusaretur, quod anno priori Hedinensi urbi suppetias ferre neglexisset, in ejus locum subrogatus est Dacresius Nobilis, nec minus Ruthlandus Comes supremum exercitus Imperium suscipere jubebatur, exauctorato Graio, eoquod Gallorum fugam in rem suam vertere prætermisisset: igitur Ruthlandus infe-

*Thuan hist.  
lib. 6 in 3.  
in fine.*



**Sæcul XVI.** ftis armis Scotiam invadens Hedinam  
**A.C. 1549.**                      omni annonæ, armorumque apparatu  
 instruxit: cum vero Germani, atque  
 Hispani, quos in suo exercitu numera-  
 bat, cæderentur, horumque primi om-  
 nibus sarcinis essent exspoliati, reliqui  
 ferme omnes trucidati fuere, eorumque  
 Dux jure belli captus abstrahatur.  
 Angliæ Senatus spectatis hisce rerum  
 vicissitudinibus seria mente perpende-  
 bat, quod partam Hedinensem urbem  
 ægre admodum, ac non sine immensis  
 ferme sumptibus tueri possent, omni-  
 busque circum vicinis agris penitus de-  
 vastatis præsidarii duntaxat ex Anglia  
 commeatus copiam habere valerent, ea  
 autem inde plusquam triginta milliari-  
 bus distaret, hinc Senatus hanc urbem  
 hosti ultro cedere decrevit, idque die  
 prima Octobris effectui dedit, unde  
 Thermus vix illius obsidionem parabat.  
 cum eidem quantocius nullo ferme ne-  
 gotio traderetur.

## §. CXXVIII.

*Anglorum molimina ad armorum So-  
 cietatem cum Cæsare ineundam.*

**R**ebus undique turbatis unicum An-  
 glis subsidium superesse videbatur  
 in Carolo V. Cæsare, unde de pangen-  
 do fœdere agi cæptum est, quantum-  
 vis



vis hujus Principis auxilium valde am-  
 biguum videretur, eoquod Christianissi-  
 mus hic Imperator adulterinæ reforma-  
 tioni nullatenus faveret. Pariter An-  
 gliæ Protector censebat, Gallis soluta  
 quadam pecuniarum summa Bononien-  
 sem urbem esse reddendam, simulque  
 cum illis æque, ac cum Scotis pacem  
 ineundam. Verum Protectoris hostes,  
 aliique Consilarii ignominix labem An-  
 glicæ Nationi inferri ajebant, si tanti  
 momenti urbs auro commutaretur. Hanc  
 in rem Pagetus Regiæ Familiæ Inspe-  
 ctor sermonem rationum momentis ad-  
 modum gravem in Senatu habuit, in  
 quo fœderis consilium omnino exequen-  
 dum proposuit, tantumque effecit, ut  
 illumet ad Cæsaris aulam esse able-  
 gandum decerneretur, eo fine, ut una-  
 cum Hobbyo Eduardi Legato fœderis  
 pacta Cæsarem inter, & Henricum VIII.  
 olim erecta rursus innovari, eaque a  
 Flandriæ Ordinibus rata haberi peteret.  
 Suscepto hoc negotio Pagetus rem ef-  
 fectui daturus discessit, ac prospero iti-  
 nere in Flandriam pervenit: verum ex-  
 pectatione sua remissius in Cæsaris au-  
 la excipiebatur; cum enim aliquamdiu  
 alloqui copia differretur, Atrebatensis  
 duntaxat Episcopus, ac duo Cæsarei  
 Consilii Senatores, qui legationis illius  
 causas exciperent, nominabantur: hi

E 4

ergo

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.



Sæc. XVI.  
A.C. 1549.  
ergo Pagetum adeuntes primum cum eo colloquium, atque evolutis aliquot diebus alterum habebant, quorum utrumque quamvis valde prolixum, haud alium tamen exitum est fortitum, nisi ut cuncta Pageti postulata rejicerentur, unde hic non sine indignatione inde recedere cogebatur.

## §. CXXIX.

*Magdeburgenses Cæsari obluētantes.*

*Sleid. l. 21.*  
*p. 755.*  
*Thuan. l. 6.*  
*num. 4.*  
Nec magis contenti erant Magdeburgenses, eo quod illos Cæsar tanquam hostes suos haberet, semperque velut suos inimicos divexaret. Equidem sese ejus decreto de Religione edito continuata pertinacia subjicere recusabant, hinc eos armorum vi, non rationum pondere ad illud acceptandum compellere nitebatur, ac nondum pristinis calamitatibus, quibus eos antea vexabat, satiatus omne hostilis crudelitatis genus in hosce populos exerceri permittebat, usque adeo, ut eorum etiam patriam diripientium furori exponeret (\*), cum autem urbis Senato-

(\*) De hac Cæsaris sævitia Sleidanus, ac Thuanus, quos Continuator solos allegat, nullam mentionem faciunt: at Continuatori



natores de vi, & injuria sæpius incassum questi essent, tandem civium nomine apologiam edunt, in quo, *immerito, inquit, accusamur, quod pacem repudiamus, & totius Germaniæ quietem contumac-*

E 5

tuma-

nuatori ut suum livorem ostenderet, nimis opportuna videbatur occasio, qua Augustissimam Domum Austriacam calumnia vero simili insensam reddere, simulque contra omnem Inquisitionis a Catholicis in hæreticos exercitæ speciem declamare posset, id certo non facturus, si prætensa hæc crudelitas, vel ob profanam cujuscumque oppidi conservationem, vel ob unius sectæ ab altera oppressæ defensionem fuisset ab hæretico, vel alterius quam, Austriacæ Domus Principe exercita. Percipiamus tamen, quæ Sleidamus, & Thuanus, hanc in rem proferunt: *Magdeburgici, & Bremenses in Germania superabant, qui seu constantia sua, seu pertinacia efficiebant, ne plenam de domitis illis provinciis victoriam reportasse Cæsar diceretur, ac Magdeburgici quidem antea proscripti crebris etiam tunc edictisangebantur sollicitatis ad auxilia contra ipsos ferenda Saxonice Ordinibus: nec abnucebant plerique, sed ut reliqui Imperii Ordines idem facerent, postulabant, itaque licet nondum palam oppugnarentur, in magnis tamen angustiis versabantur: quippe cum in eos tanquam proscriptos quisque fortunam impune experiretur.*



Sæc. XVI. A.C. 1549. *tumacia nostra perturbemus : his præmissis objecta sibi crimina pro viribus diluere nitantur, ac tandem in hoc libello circa Augustanum Decretum hæc subjungunt : Nunc etiam vis animis, & mentibus infertur, quid enim formula illa Augustana aliud agitur, quam ut pontificiæ auctoritatis jugum, quod adeo genere se excussimus, rursus cervicibus nostris imponatur? ut errores nuper detecti, & certis Scripturæ testimoniis revicti in Domum Dei invehantur.*

Hoc scriptum mox divulgatum, atque ad omnes Imperii Ordines transmissum aliquamdiu animos mitigabat, brevi tamen pristinæ recruduere vexationes. Equidem Lubecenses, ac Luneburgici, id permittentibus Cæsaris Oratoribus, Magdeburgum profecti rebelles horum civium animos sedare, eosque ad subjectionem inducere nitentur, sed incassum erant omnia; cum ergo ob suam pertinaciam impendentem sibi tempestatem vererentur, aliud adhuc scriptum divulgarunt, idque iisdem rationibus fulcitum, atque in eo expositum, quod ex divino, atque ex humano jure rebellionis adeo convinci non possint, ut potius eorum aggressores ipsimet Christo Domino bellum inferant: postmodum accusationum capita ipsis objecta refellere conantur, dicentes,

ea



ea nonnisi calumnias esse ad eorum exitium adinventas. Verum omnes hæ apologiæ haud quaquam ipsis tranquillitatem procurabant, sed eorum dissensiones, quas cum Cæsare fovebant, longo adhuc tempore protrahebantur.

## §. CXXX.

*Fœdus Gallos inter, & Helvetios.*

Præterea pia Cæsaris studia plurimum turbabantur fœdere Gallos inter, & Helvetios inito; cum enim Imperator novam armorum societatem inter ambas hasce Nationes agitari percepisset, nullum non movit lapidem, ut hoc consilium penitus everteret: verum haud amplius efficere poterat, nisi quod Tigurini, ac Bernenses huic fœderi accedere renuerent, ceteri autem Helvetiorum Pagi sese Gallis jungebant, moxque Regis nomine Jacobus Menagius Gagneus libellorum supplicum Præfectus, ac Guilielmus Plessius Liancurtius ab Henrico II. deputati hujus fœderis articulis subscripserunt: pro Helvetiis autem Valesii, ac Mulhusani Pagorum Deputati præter tres Rhætorum Tribus in has tandem condiciones convenerunt: I. *Fœdus cum Francisco I. initum, quamdiu Henricus viveret, & in quinqueannium post ejus mortem, cum Henrici hære-*

Sæc. XVI.

A.C 1549.

Sleidan. &amp;

Thuan. l. c.

Belcar. com.

l. 25. n. 22.

hære-



Sæcul. XVI. hæredibus servetur. II. *Mutua auxilia u-*  
A.C. 1549. *trinque præstentur.* III. *Regi quidem ab*  
*Helvetiis omnium suorum dominiorum tam*  
*ultra, quam citra alpes conservandorum*  
*caussa, seu quoquo modo pro iis bellum ge-*  
*retur, tam quæ modo obtinet, quam quæ*  
*olim a Patre possessa in Italia postea armis*  
*recuperaturus est, non minus sex millibus*  
*equitum, neque plus quam sexdecim millia*  
*peditum, nisi de ipsorum consensu submini-*  
*strabuntur, quibus in singulos menses stipen-*  
*dia, uti convenit, persolvantur.* IV. *Fæ-*  
*deris legibus excipiantur a Rege Pontifex,*  
*ac Sedes Romana, sanctum Imperium, Lu-*  
*sitanorum, Scotorum, Daniæ, Poloniæ,*  
*ac Sueciæ Reges, Senatus Venetus, Lota-*  
*ringiæ, ac Ferrariæ Duces, contra quos*  
*auxilia mittere non teneatur.* V. *Ab Hel-*  
*vetiis item excipiuntur Pontifex, Romana*  
*Sedes, Purpuratorum Collegium, sanctum*  
*Imperium, Domus Austriaca, & Burgun-*  
*dica juxta antiquam cum iis contractam fæ-*  
*derationem, Florentinorum etiam Respubli-*  
*ca, & Medicæa domus.* VI. *Contra An-*  
*glum auxilia pro Bononiæ, & agri vicini*  
*recuperatione promittant.*

Hæc pacta Soloturni in Helvetia die  
septimo, vel duodecimo Junii firmata pa-  
riter a Galliarum Rege die sexta Octo-  
bris rata habebantur.

§. CXXXI.



## §. CXXXI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.*Solemnis supplicatio Parisiis præfente  
Henrico II. Rege instituta.*

Cum Henricus Galliarum Rex die se-  
cunda Julii unacum Regina Lute-  
tiam Parisiorum ingressus esset, comi-  
tantibus eum Regiæ stirpis Principibus,  
Cancellario, ac libellorum supplicum Ma-  
gistris Curiam accessit, ut ibidem pro  
tribunali sederet: demum biduo post  
pro Regis, Regniq̄ue incolumitate, nec  
non Francisci I. Regis, Patris sui, ac  
Majorum suorum manibus, nec non pro  
reddenda Ecclesiæ pace, atque hære-  
sum extirpatione solemnem instituit sup-  
plicationem, quæ a D. Pauli Templo,  
quod haud procul a Turricularum, ut  
vocant, Palatio, ubi tum Aula diver-  
fabatur, aberat, usque ad Ecclesiam  
Cathedralem Beatæ Virginis solemnem  
pompa processit. Re divina ibidem per-  
acta Rex publice in Episcopali Palatio  
prandium sumpsit, eoq̄ue finito Turri-  
culas reversus supplicium aspexit quo-  
rundam, qui de Lutheri hæresi convi-  
cti ad rogam damnati fuere: id tamen  
Rex fecerat non tam pro indolis suæ a-  
lioquin mitissimæ, atque ab omni cru-  
delitate genere abhorrentis genio, quam  
nonnullis complacendi studio, qui eum  
comi-

Thuan. hist.  
l. 6. n. 2. in fin.  
Sleid. p. 863.



Sæcul. XVI. comitabantur, illumque minus decen-  
 A.C. 1549. ter ad id inducebant.

## §. CXXXII.

*Tridentini Patres a Papa Romanam  
 venire iussi.*

*Thucyd. 1. 6.  
 2.*

Interea summus Pontifex, cum sibi sanguine junctos fovere, eosque honoribus augere semper intentus esset, admodum sollicitus hæsit, ut non modo Placentiam recuperaret, sed etiam Bononiam, ac Perusium tueri posset; quippe Bentivolii Ferrariæ Ducis auxilio freti nil intentatum, inausumque relinquebant, ut Bononiensem Urbem, ex qua a Julio II. pulsi erant, denuo sibi affererent: ex altera vero parte Rudolphus Ballionius Perusium, quod ejus Prædecessoribus Leo X. eripuerat, recuperare moliebatur, remque abs dubio aggressurus fuisset, nisi eum amplissima pollicitatione ab hoc proposito avertisset Florentiæ Dux, qui ante biennium eundem Rudolphum iis præfecerat copiis, quas Cæsari opem laturus in Germaniam transmiserat. Equidem summus Pontifex hucusque semper firmam concipiebat spem, fore, ut Imperator Placentiæ jacturam compensaturus eidem Senensem Rempublicam concessurus esset, cum autem se vana spe delu-



delusum cerneret, ac promissi execu- Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.  
tionem usque ad obitum, qui ob gra-  
ve Pontificis senium proximus credebatur, studiose protrahi cognosceret, hinc ea agendi ratione commotus, ac pristinae, qua se a Cæsare affectum existimabat, injuriæ haud immemor Tridentinos Patres quantocius Romam adire jussit, quæsito obtentu, quod ad inchoandam, uti promiserat, Ecclesiæ emendationem, ac restaurandam disciplinam unacum aliarum Nationum Episcopis horum Patrum operam impendere vellet, re tamen ipsa id fiebat, ut inde Cæsari molestiam crearet (\*).

§. CXXXIII.

(\*) Hoc loco Continuator suum animum in Pontifices, ac Cæsares semper malevolum fat luculenter ostendit; postquam enim ex proscripito suo Thuano, an vera, vel falsa enarraret, parum sollicitus nonnulla de Pontificum usurpationibus, ac Cæsaris fallacia iniquo calamo descripserat, his nondum contentus, ex sola calumniandi libidine de suo addidit, Patres Tridentinos a Papa Romam esse accersitos, *ut Cæsari per hoc molestiam crearet, cum tamen ipse Thuanus fateri coactus fuerit, id a Papa fuisse factum, ut non tam Cæsaris voluntati, quam suæ existimationi in Religionis negotio satisfaceret.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

§. CXXXIII.

*Conditiones a Cæsare propositæ Tridentinis Patribus Romam accersitis.*

*Pallav. ibid. ut supral. II. c. 4. n. 1. Ex lit. Farn. ad Bertan.* Verum Imperator Tridentinis Episcopis, ut juxta Pontificis jussu Romam pergerent, nunquam concedere voluit, nisi adjectis duabus hisce conditionibus a Romana Curia ægre acceptandis, quarum prima erat: *Ne disciplinae leges ibidem statuendæ libello INTERIM, Clerique Germanici emendationi in Comitibus promulgatæ repugnarent; altera, ut Pontifex palam faceret, adventuros eosdem Præsules, ut particulares Episcopos, non ut Synodi Patres, ac proin translationem tacite pro irrita declararetur.* Porro hæc duæ conditiones propositæ videbantur non eo fine, ut illas acceptari posse speraretur, sed id fiebat duntaxat, ut totius negotii successus interciperetur, quin tamen altera ex parte Cæsareæ promissionis mutatio patefieret: cum ergo summus Pontifex probe cognosceret, quod Cæsar Bononiensem Synodum invalidam declarari, ac Concilium Tridenti continuari peteret, Rex vero Franciæ Bononienses Patres pro viribus tueretur, hinc mutata sententia animum ad alia adjecit consilia, potissimum ad id adactus rationibus hisce, quæ



quæ sequuntur. I. Ipsamet Romana Curia metuebat, ne instante proximo Pontificis obitu Tridentini Patres novi Pæ electionem sibi arrogarent. II. Indies cum Cæsare augebantur dissensiones circa Placentinam urbem, simulque in irritum cadebant cuncta molimina illorum Præfulum, qui hac de re in Germaniam decernebantur. III. Denique omnes minæ in Tridentinos Patres effusæ successu carebant, floccique habebantur.

§. CXXXIV.

*Pontificis epistola ad quatuor Tridentinos, & ad totidem Bononienses Patres.*

His rationibus permotus Pontifex duas, easque diversas literas mittere statuit, & quidem primam ad quatuor Episcopos ex illis, qui Tridenti agebant, alteram ad quatuor Bononienses perscripsit. Tridentini Episcopi fuere Paceus Cardinalis Episcopus Giennensis, Petrus Tagliavia Archiepiscopus Panormitanus, Franciscus Navarrus Episcopus Pacensis, & Joannes Bernardus Diaz Calaguritanus: Bononienses vero, Olaus Magnus Archiepiscopus Upsalensis Gothus, Sebastianus Beccavela Archiepiscopus Naxiensis Græcus, Joannes Hengestus Episcopus Noviomensis Gallus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

Pallav. ibid.  
cap. 4 n. 2.  
Ex Diario  
25. Aug. 12.  
& 16. Sept.





Sæcul. XVI. Richardus Patus Episcopus Vigorinen-  
 A. C. 1549. sis Anglus.

In hisce literis sic loquebatur Pontifex: *Pro occurrentibus Ecclesiæ necessitatibus Romæ congregationem habere constitui, quam vestra præsentia magis augustinam reddere, ac vestris consiliis uti exopto, cum mihi satis non sit cum solo Purpuratorum Senatu de rebus deliberare. Multorum Antislitum opto sententias, quapropter vos invito, atque obstringo sanctæ obedientiæ præcepto, ut intra quadragesimum diem ad me accedatis; ubi libenter auditurus sum, quidquid ad publicum Ecclesiæ emolumentum, atque ad universalem disciplinæ emendationem a me intentam suggerere volueritis.* Ad deferendas hasce literas quidam deputabatur Ecclesiasticus, qui epistolam singulis quatuor hisce Episcopis, cuique suam & quidem primo Tridentinis, redux vero Bononiensibus tradidit. Parebant quantocius Bononienses Papæ mandatis, moxque Romam accedebant.

§. CXXXV.

*Tridentini Patres morem gerere, ac Romam venire tergiversati.*

*Pallav. l. c. Ex lit. Farn. ad Bertan.* Verum quatuor Tridentinæ Synodi Patres, cum interea Cæsaris mandata *II. Septemb.* præstolarentur, nonnisi vigesima prima die



die post acceptam Pauli III. epistolam hunc in modum responderunt: *Excipimus ea, qua par est, reverentia literas suæ Sanctitatis, nec nos aliud flagrantius exoptavimus, quam primo temporis momento illi parere, sed suæ Sanctitati erit compertum, nos ejus jussu illuc convenisse, ut in Synodo ibi coacta universo Ecclesiæ bono consuleremus: nos illic expectamus reversionem Concilii compositis controversiis, tanquam in sedem maxime opportunam, a quo inceptum jam Religionis negotium ad exitum perduceretur: nec præterea latere potest suam Beatitudinem, quo in statu versetur causa, quæ nos Tridenti detinet, adeoque plura de ea loqui nec necessarium, neque opportunum videtur: proinde sanctitatem suam rogamus, ne gravetur nos excusare, quod in hujuscemodi rerum conditionibus nos Romam non conseramus, ejusque mandato parere haud possimus.*

Hoc responsum ipsemet Mendoza Romam detulit, ac coram Papa vehementer questus est, quod ejusmodi literas incio Cæsare ad Tridentinos Præfules dedisset, de qua etiam re ipse Imperator apud Bertanum Fanensem Episcopum querebatur: at mox Mendozæ hæc reposuit Pontifex: *Potius credidissim, habiturum mihi gratias Cæsarem, quod eos Episcopos, & ea forma vocassem. Etenim cum multo antea statuissem universam*



Sæc. XVI. A.C. 1549. *morum correctionem, adeo ab omnibus nationibus, & a Cæsare in primis expetitam, Romæ perficere, cumque ab eo multa rursus nova, & gravissima objecta fuissent, tum quæ ad illius futuræ emendationis tenorem, tum quæ ad accessum illuc Patrum Tridentinorum, jam promissum, spectabant, hinc volui conventum Episcoporum Romam convocare, ut de tam arduis, implicitisque rebus deliberatio haberetur, quod superiores Pontifices in causis longe minoribus usurparunt. Id autem putaveram meæ de Tridentinis Patribus existimationis argumentum fore, si pari numero, eademque Diplomatis forma hi cum Bononiensibus vocarentur: Cuiam ergo rationi Tridentinorum Patrum oppositio innititur, præsertim Paceci Cardinalis, qui præter purpuram munus peculiaris Consiliarii, ac Senatoris Pontificii obtinet?*

Postea Pontifex rursus ad hosce Patres alias dedit literas decima octava Septembris scriptas, in quibus hæc eis significabat: „Equidem vos mandatis meis obtemperaturos haud spero, vos tamen iterato admoneo, ne, si tacerem, vestram excusationem approbasse censear. „

§. CXXXVI.

*Pontifex circa Synodi statum incertus.*

*Pall. II. t. 4.  
n. 4.*

Ceterum Papa potissimam Episcoporum  
rum



rum partem, ut junctis viribus univer-  
 falis disciplinæ correctioni adlaborarent, Sæc. XVI.  
A.C. 1549.  
 Romæ congregari exoptabat, ut  
 seipsum purgaret apud plerasque Chri-  
 stianæ Reipublicæ Nationes tantopere  
 emendationis cupidas, tamque procli-  
 ves ad suspicandum, illam a Pontifice  
 declinari, ac pro viribus præpediri.  
 Verum major adhuc illius animum oc-  
 cupabat sollicitudo, qua anxius hære-  
 bat, quid de Tridentino Concilio de-  
 cerneret, si juxta Montani Cardinalis  
 sententiam illud Romam transferret, vel  
 an non potius alterius Legati scilicet Mar-  
 celli Cervini consilium sequi expediret,  
 qui censebat, jam sufficere, quod Pa-  
 pa revocato mandato, vi cujus Sessio-  
 nes differendæ essent, Bononiensibus  
 Patribus præciperet, ut pro more Con-  
 gregationes haberent, quin publicas  
 celebrarent Sessiones. Præter hæc ad-  
 huc in eo dubius erat Pontifex, an non  
 potius Synodum suspendere deceret,  
 ne fors, si illam diuturno hoc sopore  
 languentem detineret, querelarum fo-  
 mitem Episcopis subministraret, seque  
 totius Christiani Orbis contemptui ex-  
 poneret, eo potissimum nomine, quod  
 Synodus tum celebrari nequeat, si Pa-  
 pa pro urgendo emendationis negotio  
 Episcopos Romam accersere intenderet.



Sæcul. XVI  
A. C. 1549.

## §. CXXXVII.

*Pontificis mandatum de interrumpenda Synodo.*

Reynald. hoc  
ann. n. 21.

Enimvero postremum hoc consilium secutus Montano Cardinali præcepit Pontifex, ut Bononienses Patres dimitteret, eisque significaret, quod Sanctitas sua decreverit nullum deinceps Concilium esse celebrandum, eoque quod Romæ decretis pro morum, ac disciplinæ emendatione necessariis infundare statuisset. Hoc negotium sibi demandatum Montanus die decima septima Septembris executus est.

## §. CXXXVIII.

*Cæsaris consilium de arce Senis construenda.*

Thucyd. hist.  
l. 6. n. 4.

Nec tamen omnibus animi sui anxietatibus liber evasit Pontifex; semper enim Placentinæ res illum vehementissime distentum tenebant, præcipue, cum præfatæ urbis loco Senensem Provinciam nullo pacto obtinere posset; quippe Mendoza, qui Cæsaris nomine ibidem præerat, Senenses eo induxit, ut ad Carolum Oratores mittere decernerent. Hi ergo duos feligunt, quorum primus erat Lelius Puccius



Puccius unus ex illis novem, penes <sup>Sæcul. XVI.</sup> quos suprema Reipublicæ auctoritas est; <sup>A. C. 1549.</sup> alter vero erat Alexander Guilielmus, qui quidem nonnisi ex plebeio ordine, suo tamen socio ingenii acie longe præstabat, ac Mendozæ addictissimus extiterat. His datum erat negotium, ut de prospera Mendozæ administratione, & æqua Reipublicæ ordinatione per illum facta Cæsari gratias agerent: cæterum Hispanorum præsidium, quod admodum Senensibus grave esset, ut amoveretur, enixis precibus contenderent, & aliunde urbis securitati prospiceretur. Id eo tendebat, ut summa Imperii Mendozæ a Cæsare committeretur, eique arcis construendæ negotium daretur, juxta delineationem munitionis ex peritorum sententia factam, quæ Gonzagæ antea communicata dein ad Cæsarem mittebatur.

Insuper Guilielmus ex Mendozæ impulsu Cæsari suggerere jubebatur, quatenus ceteris oppidis in ora maritima sitis, videlicet Portus-Herculanæ, & Orbitellensi urbibus, aliisque locis Hispanorum præsidia imponeret.

## §. CXXXIX.

*Octavii Farnesii molimina pro occupanda Parmensi urbe.*

Octavius Farnesius, cum hanc legationem

F 4

tionem



Sæcul XVI tionem decerni intelligeret, seque spe,  
 A.C. 1519 qua Senas pro Parma, & Placentia  
 Thuan. 1 c. recepturus esset, privatam cerneret,  
 Pallav. hist. nullatenus Pontifici circa Parmam Ec-  
 Conc. Trid. clesiae restituendam assentiri voluit;  
 l. II. c. 6. n. 2. quapropter desperatis utrinque rebus,  
 Vid. Adria. aut vi, aut astu Parmam invito etiam  
 lib. 7. Pontifice, ac inscio Fratre suo invade-  
 re statuit, eoque consilio cum exigua  
 fuorum manu præter omnium expecta-  
 tionem Parmam venit, ubi eidem Sfor-  
 tia San-Florianus rei conscius, ac for-  
 talse omnino auctor jamjam præsto ad-  
 fuit: cum autem Camillus Urfinus, qui  
 urbem Pontificis nomine regebat, man-  
 dato non ita pridem accepto prohibere-  
 tur, ne ulli, cujuscunque conditionis  
 esset, imo ne ipsis quoque ejus Nepoti-  
 bus urbem, aut arcem traderet, sed u-  
 tramque Sedis Apostolicæ nomine tene-  
 ret, hinc adeo scite præsidiarios milites  
 per urbem disponebat, ut Octavius ni-  
 hil in eam moliri posset; quapropter ad  
 Urfinum sibi demerendum nil opportu-  
 nius esse censebat, quam illum ad con-  
 vivium vocare, ubi eum aut captum  
 detinere, aut occidere Octavius decre-  
 verat: verum Urfinus ad illud venire  
 recusabat.



## §. CXL.

Sæc. XVI.

A.C. 1549.

*Octavii consilia per Papam eversa.*

Post hæc Octavius arcis Gubernato-  
rem accessit, eumque rogavit, ut  
in illam admitteretur: Hic vero Octa-  
vio respondit, citra Pontificis, & Ca-  
milli Gubernatoris, cui ipse subesset,  
voluntatem id sibi non licere: unde spe  
sua delusus Octavius indignanti animo  
recessit, statuitque armorum vi id, quod  
lenitate verborum obtinere desperave-  
rat, extorquere. Re comperta sum-  
mus Pontifex graviter Nepoti suo suc-  
censuit, præcepitque, ut nulla mora  
Romam ad eum veniret: cum vero ille  
morem gerere renueret, Montano Car-  
dinali, qui adhucdum Bononiæ age-  
bat, mandavit, ut illum adiret, atque  
ad officium redigere niteretur. Mon-  
tanus accepto mandato quantocius Tor-  
ciarum Pallavicinorum oppidum, ubi  
Octavius diverterat, contendit, ac de-  
mandato munere defungitur, atque in-  
de Parmam profectus Camillo Ursino,  
necnon arcis Gubernatori denuntiat,  
ut nisi ipsis de Pontificis voluntate cer-  
to constaret, Octavium non reciperent,  
nec etiam cives ulli præter Camillum  
obtemperarent.

*Thuan. l. c.**Diar. ad 24.**Octob.**Pall. l. c. n. 3.*



**Sæcul. XVI.** Cum igitur Octavius sibi aditum undique præcludi, ac proin sese Parmensi urbe, ceterisque omnibus suis juribus exui cerneret, tandem ad conditiones ipsi a Joanne Luna post amissam mox Placentiam propositas animum adjecit, quas tunc repudiavit, recenti adhuc parentis cæde, & flagrante justæ ultionis desiderio incitatus, nunc averso a se Avo in memoriam revocavit, fatiusque duxit, omissa in præsens paternæ cædis ultione, Cæsaris foceri, & ejus Ministrorum fidem, ac fortunam sequi, quam intempestiva constantia, Avi jam deliri, ut ipsi videbatur, ac brevi morituri voluntati acquiescere: igitur Hippolytum Pallavicinum Mantuam, quorsum Gonzaga ad nuptias, quas Franciscus Friderici Mantuæ Ducis filius cum Catharina Austriaca Ferdinandi Romanorum Regis Filia celebraturus erat, cum Cardinali Tridentino venerat, mittit, ut cum eo ageret; itaque Gonzaga operam suam sinceramque amicitiam Octavio pollicetur, si modo res Cæsaris comòdo cedat.

His dictis mox Pallavicinum, ut responsum ad Octavium referret, redire jussit. Hic accepto responso, nec acceptata, aut repudiata pro tempore conditione, continuo ad Cardinalem fratrem literas dat, quibus eum rogabat,



bat, ut Pontificem de rerum suarum statu certio-rem faceret, & ab eo impetraret, quatenus sibi Parma restitueretur, cum alioquin foret, ut cum Gonzaga transigeret, & injuste sibi ablata Cæsaris ope, & armis vindicaret. Ceterum conditiones ipsi a Gonzaga impositæ erant sequentes: I. Parma Cæsaris potestati reliquatur, ita tamen, ut honesta compensatio Octavio fieret. II. Si vero hæc urbs eidem redderetur, tunc illam duntaxat Cæsaris nomine possideret.

Sæc. XVI.  
A.C. 1540.

§. CXLI.

*Octavius cum Ferdinando Gonzaga transigere paratus.*

Postquam Farnesius Cardinalis hanc *Pallav. c. 6.*

Octavii fratris sui epistolam perlegit, illam ab eo sincera nullatenus mente, sed duntaxat, ut Pontificem ad Parmam eidem reddendam hoc artificio compelleret, scriptam arbitratur; hinc eam sine ulla hæsitatione ad Pontificem detulit, illamque ei communicavit. Verum Papa, qui tum in Quirinali palatio agebat, perlectis hisce literis longe alias, quam Farnesius Cardinalis, animi affectiones senserat; *cum enim*, inquit Pallavicinus, *rationes omnes consanguinitatis, amorisque, quibus cum Octavio*



Sæcul. XVI. *Octavio conneſcebatur, ſperni cernebat, hic*  
A.C. 1549 *deſpectus Papæ vulnus illito tanquam toxico*  
*inſecerat, adeoque ea denuntiatio, perinde*  
*ac vœnenatus anhelitus in præcordia immiſ-*  
*ſus, animi defectionem extemplo attulit,*  
 adeo, ut adſtantium brachiis ſuſtenta-  
 tus, ac cuidam lecto impoſitus quatuor  
 omnino horas vocis uſu deſtitutus hæ-  
 reret. Tandem linquentem animam re-  
 vocans, paucosque vitæ ſuæ dies ad-  
 huc ſibi ſuperſtites ſentiens Cardinales  
 aſſeſſe juſſit, eiſque Eccleſiæ curam  
 commendans facultatem dedit, ut ceteris  
 etiam convocatis ea, quæ in rem fore cen-  
 ferent, decernere poſſent. Poſtea morti  
 proximus aut æquitatis, ſeu potius ſan-  
 guinis amore permotus Octavio Parmam  
 reſtitui, atque ea de re diploma  
 ad Camillum Urſinum per Marcum An-  
 tonium Filium ſuum a ſecretis Miniſtrum,  
 ac Polæ Episcopum deferri præcepit.  
 Equidem diploma fuit eo delatum: aſt  
 Camillus ſive ſtudio Sedis Apoſtolicæ  
 permotus, ſive minis Octavii exulcera-  
 tus, primum ſuſpicionem falſitatis ob-  
 tendit, cum aliud diploma huic contra-  
 rium recens accepiffet: dein rei verita-  
 te comperta, ſed Pauli III. morte ſimul  
 audita, Parmam reddere recuſavit, af-  
 firmans: „Ad revocandam delibera-  
 „ tam voluntatem Pontificis, corpo-  
 „ ris, mentisque ſanitate firmi, ſatis  
 „ non



„ non est tumultuaria ejusdem mori-  
 „ bundi, & fortasse non integræ men-  
 „ tis jussio, „

Sæcul XVI.

A. C 1549

## §. CXLII.

*Pauli III. summi Pontificis obitus.*

Obiit Paulus III. hoc anno Domini Ciaccon. in vñ-  
millesimo quingentesimo quadrage-  
tis Pontif.  
tom. 3 p. 537.  
Pallav. hist.  
Conc. Trid.  
l. 11. c. 6. n.  
3 & 4.  
Sleid. comm.  
l. 21. p. 769.  
 fimino nono die decima Novembris, post-  
 quam annum ætatis suæ octogesimum  
 primum, octo Menses, decemque dies  
 expleverat, ac annos quindecim, dies  
 que novemdecim D. Petri Cathedram  
 gubernaverat. Referunt Scriptorum (\*),  
 quod hic Pontifex, si longior ei vita conti-  
 gisset,

(\*) Ne Lector hoc a multis, probatisque  
 Scriptoribus memoriæ proditum a Continua-  
 tore deceptus existimet, omnino observandum  
 censeo, quod hic pro more suo sæpius a plu-  
 ribus Scriptoribus quicquam relatam affirmet  
 cum tamen non nisi ab unico, eoque suspectæ  
 fidei Scriptorum narratum esset: hujus rei ex-  
 emplum suppeditat præsens relatio, cujus so-  
 lus, & unicus Sleidanus mentionem facit: *ho-  
 mo monoculus*, ut inquit Henricus Schüz in suo  
 commentario critico, *natalibus spuris, Reli-  
 gione apostata, Calvinistarum Livius, & Hi-  
 storicus elegans, sed & in elegantiss mendax,  
 ac Historiæ, & veritatis corruptor.*



Sæcul. XVI. *gisset, omnino in Gallia Regis partes tran-*  
A.C. 1549. *sisset, nam inde ob cædem Filii Petri Aloysii*  
*vindictam animo agitasse creditur; cum*  
*hujus necis conscium fuisse Cæsarem*  
*valde graviter suspicaretur (\*). Fer-*  
*tur insuper, quod Carolus tum Bru-*  
*xellis agens, cum per quemdam nun-*  
*tium de Pontificis obitu certior factus*  
*esset, literis vix perlectis Philippo Fi-*  
*lio suo, quid novi afferretur, sciscitan-*  
*ti hæc responderit: Romæ mortuus est*  
*quidam affectu apprime Gallus, mox*  
*vero tradita eidem epistola subjunxit:*  
*„ Certus sum, Fili mi! quod, si de-*  
*„ functi Pontificis corpus aromatibus*  
*„ condiendum ejusdem consanguinei a-*  
*„ periri juberent, tria lilia illius cordi*  
*„ insculpta reperirent. „ (\*\*). Post*  
 Pon-

(\*) Hanc calumniam ne ipse quidem Sleidanus, sed solus Continuator impingere ausus est, hanc vero cædem a Cæsarianis fuisse adornatam referunt Scriptores, nullus vero ab ipsomet Cæsare.

(\*\*) Cum nec Ciaconius, Pallavicinus, nec Sleidanus, quos solos Continuator allegat, imo ne ipsi quidem Sectarii uti Struvius, Heideggerus, Hottingus, Weismanus, & his non absimiles Thuanus, Sarpus, nec alii de hac fabula mentionem faciant, eandem tanquam felicissimum ingenii partum a Continuatore



Pontificis obitum ejus cadaver ad S. Sæcul. XVI.  
Sixti Sacellum deferebatur, ibidemque A.C. 1549.  
tribus diebus expositum & solita pompa  
in Vaticana Ecclesia terræ mandatum  
fuit, atque exequiæ pro more novem-  
diales habitæ sunt; cum vero ob cæ-  
cum erga familiam suam affectum mul-  
tis vitiatus esset nævis, sibi sanguine  
junctorum ingratitude detestabatur,  
atque in postremo ferme vitæ suæ mo-  
mento illa ex Davidis Psalmo verba re- *Psal. 18.*  
petiisse dicitur: *Si mei non fuerint domi-  
nati, tunc immaculatus ero, & emunda-  
bor a delicto maximo.* Ceterum hic idem  
Pontifex pro ævi sui ratione inter do-  
ctos merito recensendus, elegantiã pror-  
sus carmina conscripsit, pluresque re-  
liquit epistolas eruditione plenas, quas  
ad Erasmus, Sadoletum, aliosque  
subinde dederat. Elucubrabat insuper  
com-

tore enixum admireris, benevole Lector, ma-  
gis tamen absque dubio mirum videbitur, quod  
hunc Pontificem de Gallica Natione adeo be-  
ne meritum Gallus noster Continuator nullis  
omnino elogiis celebret, ejusque virtutes, ra-  
rasque animi dotes, quas omnes pene proba-  
tioris fidei Scriptores (exceptis hæreticis, &  
apostatis Ochino, Vergerio Baleo, & aliis)  
plurimum commendant: rationem vero si de-  
poscis, amice Lector! paucis eam tibi reddo:  
Fuit Romanus Pontifex.



Sæcul. XVI. commentarios in quasdam Ciceronis  
A. C. 1549. epistolas.

## §. CXLIII.

*Conclave ob quorundam Cardinalium  
absentiam dilatatum.*

*Thuan: hist.  
l. 6. n. 4.  
Duchef. hist.  
des Papes  
p. 406.*

Cum Cardinales alias de more decima post Papæ obitum die sacra comitia celebrare deberent, nunc nonnisi vigesima octava Novembris die conclave ingredi poterant, id sollicitantibus Gallis Cardinalibus, qui sacrum Collegium importunis urgebant precibus, ut ceteros quoque suæ Nationis Purpuratos jamjam iter aggressos præstolarentur. Ceterum Paceus Cardinalis, cum absque speciali Cæsaris mandato e Tridentina urbe excedere nollet, nonnisi quarta Decembris die advenerat, quem duodecima ejusdem Mensis die sequebantur Cardinales Bellaius, Vindocinensis, Castillionæus, & Guisianus, atque aliquot post diebus Ambasius, Lotharingius, & Borbonius illuc accesserant. Denique præter Madruccium Cardinalem, qui Mantuæ agebat, Tridenti erant Salviatus, Mantuanus (\*), Cibo, Augu-

(\*) Typi errore irrepsit *Mantuanus*, cum legendum esset, *Joannes Maria Montanus*, nisi



Augufianus, Auria, & Roboreus, qui Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.  
omnes Cardinales summa celeritate Romam advolabant, & Papæ exequis intererant. Itaque omnes hi Cardinales numero quadraginta novem conclave ingreffi in tres dividebantur factiones, quarum prima erat Cæfareæ, altera Gallica, & tertia demum Farnesiana, quæ Cardinales a defuncto Papa creatos, & præcipue Farnesium Pontificis Nepotem complectebatur. Hæc non solum numero celebrior erat, sed etiam suffragantium merito, eo quod Cardinales longa rerum experientia, atque auctoritate ceteris insigniores Farnesio Cardinali adhærerent, imo ipsemet annis licet juvenis, prudentia tamen admodum perspicaci, mira que rerum gerendarum dexteritate ultra ætatis suæ vires, atque expectationem uberrime præditus erat: hinc illi, quibus sacri Collegii merita erant perspecta, haud difficulter præfagebant, quod Farnesius, quamprimum Purpurati conclave ingreffi essent, totum futuræ electionis

nisi forte hoc nomine *Mantuanus* significetur Hercules Gonzaga, qui vulgo Cardinalis *Mantuanus* dicebatur, atque etiam Romam venerat, præter Montanum, quem Continuator referre omisit.

*Hist. Eccles. Tom. XL.*

G



Sæcul. XVI. tionis negotium solus moderaturus  
 A.C. 1549. foret.

## §. CXLIV.

*Cardinales Conclave pro novi Pontificis electione ingressi.*

*Pallav. hist.*  
*l. II c. 6. n. 5.*  
*Sleid. comm.*  
*l. 21. p. 774.*

Cardinales vigesima octava, vel juxta alios vigesima nona Novembris die sacris comitiis initium fecere, ubi Cardinales Farnesio adhærentes impetrabant, ut Camillus Urfinus Parmam Octavio reddere juberetur, eoquod hac de re summus Pontifex morti proximus mandatum a Polæ Episcopo delatum dedisset: Ast Camillus insuperhabitis tam defuncti Papæ jussis, quam Cardinalium literis constanter assererat, quod hanc urbem nomine Sedis Apostolicæ retinere, illamque nonnisi ex futuri Pontificis mandato tradere vellet. Equidem nonnulli ingratum eidem exprobabant animum, saniores tamen illius fidem, ac constantiam deprædicabant: juris enim æquitatem, ac publicæ tranquillitatis commodum amicorum favori præferendum ajebant, potissimum eo nomine, quod illum eodem tempore Ferdinandus Gonzaga vehementer sollicitaret, ut oblato triginta aureorum millium pretio Parmam Cæsari traderet: Cum vero Camillus Columna post Papæ obitum Pallianum, alias



aliasque suæ Familiæ urbes sibi afferere-  
 ret, hinc Romani graves inde tumultus  
 abs dubio exorituros verebantur, etiam-  
 si Columna ubique divulgaret, quod ha-  
 rum urbium possessionem nullatenus  
 bellum inferendi animo accepisset, sed  
 unice eo ex fine, ut Competitorem  
 suum Sulmonæ Principem ab earum in-  
 vasionem præpediret, jusque suum tue-  
 retur.

## §. CXLV.

*Varia consilia circa Pontificis ele-  
 ctionem Farnesio Cardinali  
 proposita.*

Interea Romanæ Urbis præsidium u-  
 nacum quatuor armatorum millibus  
 Horatio Farnesio committebatur, simul-  
 que ad propugnandum Vaticanum Pa-  
 latium præter solitas Helvetiorum ex-  
 cubias ductore Petigliano Comite quin-  
 genti Itali designati fuere. His ita di-  
 spositis tantopere Farnesii Cardinalis  
 auctoritas prævalebat, ut illius amici-  
 tiam Cæsarei æque, ac Galli sibi conci-  
 liare certarent; verum spretis omni-  
 bus eorum lenociniis nunquam, nisi ad  
 clientum suorum sententiam sua alter-  
 utri parti studia devovere voluit; unde  
 ex illis præcipuos in consilium voca-  
 bat, eorum vero opiniones in diversa a-  
 bire compererat; quippe eorum non nul-



Sæcul XVI  
A.C. 1549.

li suadebant, ut neutri parti adhæ-  
reret, cum suorum numerus tantopere  
ceteris prævaleret, ut de prospero suc-  
cessu certus esse posset, quicquid demum  
decernere vellet, si vero, inquiebant illi,  
cuidam parti accedere luberet, nun-  
quam tamen Cæsaris factioni nomen  
daret, eoquod hic de Petri Aloyfii cæ-  
de nonnihil suspectus haberetur, de cete-  
ro autem dissimulando rem ageret, Gal-  
lisque clam adhæreret, ne Cæsarem si-  
bi aperte adversantem experiri cogere-  
tur. Alii econtra censebant, con-  
sultius fore, si Farnesius se palam Cæ-  
saris hostem, Gallorum vero fautorem  
ostenderet; cum hac agendi ratione  
facilius ad supremos Pontificatus apices  
alium Virum sibi acceptum elevare posset,  
simulque Patruī sui vestigiis constan-  
ter inhærens Galliarum Regem ad pro-  
tegendam Farnesianam familiam con-  
stringeret, ut hoc pacto Parmam, & Pla-  
centiam, quæ urbes Octavio Farnesio  
fuerunt ereptæ, recūperare valeret: A-  
lii vero has opponebant rationes: „Gal-  
„ lis palam favere res periculis plena  
„ est; cum Cardinalis sibi indignatio-  
„ nem accerferet Cæsaris, qui facili  
„ negotio Farnesios pessumdare pos-  
„ set, unde inquiebant isti, Cardinalem  
„ præteritorum memoria circa futura  
„ potius cautum reddat; si enim de-  
„ fun-



„ functus Pontifex, quamvis Galliarum **Sæcul. XVI.**  
 „ Regis præsidio suffultus, Cæsaris ta- **A C. 1549.**  
 „ men potentiae resistendo impar fuit,  
 „ minus prosperum sibi successum ipse  
 „ polliceri poterit in ea temporis vicis-  
 „ situdine, ubi omnes Italiae Principes  
 „ contra Gallos foedere juncti sunt. In-  
 „ super videretur, quod Cæsar, cum Fi-  
 „ liam suam Margaritam Octavio in u-  
 „ xorem dedisset, hoc favore odium,  
 „ quo Farnesii ob Petri Aloysii necem  
 „ in eum flagrabant, extinguere volue-  
 „ rit; hoc enim necessitudinis vinculo  
 „ Cæsar Farnesianos protegere, ac non  
 „ modo Octavii, sed & Patris, Patru-  
 „ omniumque e Farnesiana domo Prin-  
 „ cipum causam, utilitatemque procu-  
 „ rare adstrictus est. „ Hisce rationi-  
 „ bus Cardinalis Farnesius, quominus men-  
 „ tem suam panderet, absterrebat, quam-  
 „ vis clam Gallis adhæreret (\*).

## CXLVI.

(\*) Abs dubio Lector jam sæpius anim-  
 advertere potuit, quod Continuator, quoties  
 de cujusdam Pontificis vita, & obitu, vel de  
 quodam conclavi mentio occurrit, multa re-  
 censeat, nullum tamen Scriptorem suæ nar-  
 rationis testem alleget, eo fine, ut pro suo  
 arbitrio fingere, calumniari, ac convitari va-  
 leat: hujus generis sunt omnes hæ rationes,

G 3

quas



Sæc. XVI.

A C 149

§. CXLVI.

*Cardinalium Cæsari additorum con-  
silia de Polo Cardinale in Papam  
eligendo.*

*Thuan. hist.**lib 6 n. 2.**Royn. ad an.**1550 tom. 21**curat. 2.**part**Sander hist.**schism. l. 2.**p. 287.*

Die prima Decembris Sacra Purpura-  
torum comitia ritu solemniori inchoa-  
bantur, ac præprimis re Divina de Spi-  
ritu Sancto peracta Farnesius sibi ad-  
dictos convocavit, eisque exposuit, Cæ-  
sareos Cardinales de eligendo Regi-  
naldo Polo, qui proxima cognatione  
Angliæ Regem attingens generis no-  
bilitatem cum eximia vitæ probitate,  
atque eminenti doctrina conjunxit;  
„ hunc

quas Continuator impræsentiarum verbosa sua  
garrulitate tanquam Farnesio propositas, re-  
tamen ipsa in solo ejus cerebro fabricatas  
profert, eo duntaxat fine, ut in suæ Historiæ  
progressu novi hujus Pontificis electionem  
nonnisi Farnesianorum, aliorumque artibus,  
fraudibus, ac dolosis consiliis vitiatam Lecto-  
ribus suis depingere possent, spe fretus, quod  
paucis ad ipsos, ut vocant, veritatis fontes  
currentibus, plena ejus verbis fides sit adhi-  
benda, ac postmodum alii Fleurianæ Historiæ  
auctoritate suffulti eadem cum Sedis Aposto-  
licæ ignominia commentariis suis infertur  
ut.



„ hunc igitur, inquiebat Farnesius, abs-  
 „ que ullo timore eligere poteritis, eo-  
 „ quod nunquam ullius partis studio  
 „ addictus fuisset. „ Porro hic idem  
 Cardinalis complures numerabat ami-  
 cos, atque inter eos præcipue Triden-  
 tinum, Sfortiam, & Crescentium Car-  
 dinales, qui illius electionem tanto ar-  
 dore promovere satagebant, ut palam  
 Morono, & Massæo declararent, hunc  
 in prima suffragiorum inspectione nomi-  
 nandum esse, nec ullum ejus electioni  
 oblectaturum. Hi quidem Gallorum  
 Cardinalium absentia opportune uti in-  
 tenderant: verum Massæus sententiam  
 suam hac super re tam celeriter mani-  
 festare, haud consultum censebat, veri-  
 tus, ne oppositæ factionis Cardinales  
 eo adigeret, ut illum a Pontificatus spe  
 excluderent. Porro cum Polus suffra-  
 gantium animos sibi propensos intelli-  
 geret, ac non modo Cæsareos, sed e-  
 tiam Farnesianos, imo & ipsum quoque  
 Guisium Cardinalem Gallicæ factionis  
 caput in ipsius electionem junctis viri-  
 bus propendere cerneret, hinc pruden-  
 ter eos, qui jamjam futuram ei dignita-  
 tem gratulatum venerant, hortabatur, ne  
 in re tanti momenti tam præcipiti uteren-  
 tur consilio, nec ullis humanis rationi-  
 bus se abduci finerent, sed potius unice  
 sibi Dei gloriam, ac Ecclesiæ bonum

Sæc. XVI.  
 A. C. 1549.



**Sæcul. XVI.** præponerent: cum vero quadam die,  
**A.C. 1549.** a Ludovico Priullo Nobili Veneto fami-  
 liari suo, ac ob morum probitatem per-  
 caro e fomno excitaretur, atque admoni-  
 tus esset, quod Cardinales adventassent,  
 abs dubio proximam ei electionem si-  
 gnificaturi, amice eum redarguit: Car-  
 dinalibus vero hæc significavit: „ Sum-  
 „ mopere optarem, ut tanti momenti  
 „ negotium, quod potius pertimescen-  
 „ dum, quam desiderandum est, matu-  
 „ re, ac ordinate, non autem inconside-  
 „ rate, & præpropere perficeretur: de  
 „ cetero noctis tempus ad tale opus  
 „ minus congruum mihi videtur, cum  
 „ Deus sit Deus lucis, non autem te-  
 „ nebrarum. Deum itaque melius ho-  
 „ norari arbitror, si res ad alteram diem  
 „ differatur. „

## §. CXLVII.

*Seniores ex Cardinalibus Polo  
adversantes.*

*Tham. l. c.* Cum autem Poli competitores vereri  
 inciperent, ne omnes Cardinales  
 tam raro, ac fere nunquam audito mo-  
 destiæ exemplo commoti unanimi voce  
 Reginaldum Polum Sedi Apostolicæ  
 præficerent, ac aliunde Virum haud a-  
 deo senem eligi, & proin eorum plures  
 perpetua obtinendæ hujus dignitatis  
 spe



spe excludi ægre ferrent, hinc eidem ad-  
 versari incæperunt, tantaque dexteri-  
 tate rem moderabantur, ut ex juniori-  
 bus potissimos ad suas partes pertrahe-  
 rent. His ergo pluribus suggerebant,  
 electionem esse differendam usque ad  
 adventum eorum Cardinalium, qui jam-  
 jam in itinere erant, cum ex illis plures  
 natione Galli forent. Verum Cæsareæ  
 factionis Cardinales comperto istorum  
 consilio die nona Decembris, & nona  
 itidem diei hora conventum agere, ibi-  
 demque Poli electionem proponere de-  
 cernebant; sperabant enim, fore, ut res  
 ad sententiam cederet, eoquod suorum  
 numerus ad validam Papæ electio-  
 nem sufficeret: Nihilominus, cum Car-  
 dinalis S. Marcelli, ac Verallus hujus  
 factionis principes adversa valetudine  
 præpediti abessent, iis insciis nil ten-  
 tandum existimabant nonnulli, eapro-  
 pter rem usque ad posteram diem disse-  
 rebant, satis certi, quod ipsi, si omnes  
 promissis starent, præscriptum suffragio-  
 rum numerum excederent: nec tamen  
 hoc consilium tanta taciturnitate ce-  
 lare poterant, quin illius notitia ad  
 Montanum, Cæsium, & Gadium Car-  
 dinales, quibus itidem ad Pontificatum  
 spes erat, pertingeret, hinc quantocius  
 de tota rei serie Cardinales Gallos e-  
 docebant, ut sese huic consilio oppone-  
 rent:

G 5

rent:

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.



**Sæcul. XVI.** **A.C. 1549.** runt: Salviatus quoque cum suis amicis conferens eos, ut suffragiorum collectionem differrent, rogabat, spe fretus, quod longioris moræ beneficio plures a Reginaldi Poli studio avertere posset: verum denegata induciarum venia rursus apud suos amicos instabat, ut saltem huic Cardinali non faverent. Ast cuncta hæc molimina haud præpedire poterant, quominus tam in scrutinio, quam in *accessu*, ut vocant, viginti sex suffragia in Polum concurrerent: cum vero ex quadraginta novem Cardinalibus in conclavi congregatis solus triginta tria ferre debuisset, hinc ea die res absoluta non fuit.

## §. CXLVIII.

*Cardinalis Polus de Lutheri hæresi accusatus.*

*Sleid. comm. lib. 21. p. 774.*  
*Thuan. lib. 6. n. 4.* Cum Cæsarei Cardinales e re sua plurimum fore censerent, si ante Gallorum Cardinalium adventum prima suffragiorum inspectio fieret, hinc altera die in Sacello congregati suffragia colligi instanter petebant, quibus id etiam datum est. Ergo re divina prius peracta calici, qui in Altari collocatus erat, suas quisque schedas imponunt, iisque apertis Polus nonnisi octodecim sibi suffragantes habuisse reperitur, cum vero



vero electionis normam, quæ per acces- Sæcul. XVI.  
 sum fit, repeterent, idem Cardinalis vi- A.C. 1549.  
 ginti sex suffragia solus tulit. Exin-  
 de adversæ partis Cardinales haud  
 obscure colligebant, quod exigua Polo  
 Pontificatus spes superesset. Porro pe-  
 nitus illum ab hac dignitate exclusisse  
 videtur Cardinalis Carassa, qui Polum  
 falso accusabat, quod minus recte de  
 religione sentiret, atque in Legatione  
 Viterbiensi non ea, qua par fuisset, seve-  
 ritate in suspectos de hæresi animad-  
 vertisset; has ob causas Carassa ejus  
 electioni repugnabat. Hæc relatio  
 quantumvis veritati minime consona,  
 adeo sinistram tamen de Polo opinio-  
 nem Cardinalium animis impressit, ut  
 ab illo momento haud ultra de ipso men-  
 tio fieret, quamvis illi, quibus tam su-  
 bita animorum mutatio ferme haud cre-  
 enda videbatur, jamjam cubiculi, in  
 quo Polus alias morabatur, ornamenta  
 deponerent, veriti, ne a populo diri-  
 perentur, quæ res Poli electionem adeo  
 certam reddebat, ut jamjam Romani  
 Proceres, ac Populus ad Vaticanam D.  
 Petri Basilicam confluerent, novi Pon-  
 tificis nomen percepturi, imo amicis  
 suis jamjam nuntiari fecerant, Polum  
 absque omni controversia in Papam esse  
 eligendum; unde non sine ingenti ad-  
 miratione eum ab hac dignitate fuisse  
 exclu-



Sæcul. XVI exclusum perceperunt: Solus Cardinalis Polus nihil inde turbatus erat, cum ab omni ambitione omnino alienus, atque honorum minime cupidus esset.

## §. CXLIX.

*Cardinalis Salviati electio proposita, sed rejecta.*

Per Poli exclusionem Cardinali Salviato ad summum Pontificatum aditus pandi videbatur, eoquod Cardinales natione Galli eum simul, & Rudolphum, qui ambo patria Florentini erant, proposuissent. Verum mutuo hoc nominationis concursu alter alterius electionem remorabatur; quamvis enim Rudolphus Galliarum Reginae, Catharinae Medicæ patrocínio suffultus esset, Salviatus tamen auctoritate, ac propria rerum agendarum peritia, meritisque potior erat, imo nec eidem deerat Gallorum favor: ipse insuper Ferdinandum Gonzagam, ejusque fratrem Cardinalem, necnon Mendozam, qui totum negotium Cæsaris nomine procurabat, adeo sibi devinxerat, ut hi tres junctis viribus Cæsareos Cardinales ad Salviati electionem inclinare niterentur. Horum autem studia excitabat pollicitatio



tio (\*) qua Salviatus Gonzagæ ampliffi-  
mam in Gallia Cifalpina ditionem, Men-  
dozæ vero Senarum imperium, quod  
jam alieno nomine possidebat, proprio  
jure obtinendum promiserat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

Verum Etruriæ Dux utrique Cardi-  
nali vehementer obluſtabatur; quippe  
ob acres contentiones in Princi-  
patus sui initio exortas tam Rudolpho,  
quam Salviato infensus erat, imo Far-  
neſius quoque Cardinalis parum fave-  
bat Salviato, qui ejus gratiam recupe-  
raturus Ranutium Farnesii fratrem per  
ministerium Neptis suæ, quæ Ranuti  
uxor erat, sibi demereri studuerat, nec  
sine prospero successu; quippe hujus Ma-  
tronæ opera Farnesianos sibi concilia-  
bat: verum negotio longius protracto  
alia interim agitabantur consilia, per  
quæ Salviatus spe sua excidit, unde Far-  
neſius

(\*) Hanc spem fuisse factam solus refert  
Thuanus, id vero a Salviato fuisse promissum  
non exprimit, imo nec, ut rem certam, sed  
duntaxat vulgi rumoribus innixam narrat,  
addens: *ut multi existimant*, Continuator ve-  
ro tanquam rem absque omni controversia  
positam, certamque pro more suo, ac scripti-  
tandi libertate recenset, ut Pontificum electio-  
nes Simonizæ labe conspersas Lectoribus suis  
proponere valeret.



**Sæcul. XVI.** nefius Cardinalis hujus moræ benefi-  
**A.C. 1549.** cio usus Hyppolytum Pallavicinum ad  
 Cæfarem decrevit, ut tam suo, quam  
 Octavii fratris sui nomine eidem expo-  
 neret, quod Gonzaga, ac Mendoza, qui  
 Salviato favebant, eo in negotio gravi-  
 ter hallucinarentur, atque injuriam,  
 quam per hoc Cæsari inferrent, non ap-  
 prehenderent: Igitur Carolus Impera-  
 tor quantocius datis ad utrumque lite-  
 ris imperabat, ut Salviati Cardinalis e-  
 lectionem haud ultra urgerent,

Cum igitur Cardinales Salviatus,  
 ac Polus hac ratione excluderentur, per  
 aliquot dies varii Cardinales nomina-  
 bantur potius obsequii gratia, quam  
 eos eligendi studio; quippe hos neces-  
 sariis ad electionem suffragiis carituros  
 esse, facile prospici poterat. Præpri-  
 mis Cardinalis Toletanus Neapolita-  
 ni Proregis Frater proponebatur, qui a-  
 liunde ob præclara virtutum merita, vel  
 maxime conspicuus, insuper apud Cæ-  
 sare, ac Florentiæ Ducem, qui Eleo-  
 noræ Cardinalis Nepti junctus erat, plu-  
 rimum gratia valebat: Favebat autem  
 Farnesius Cardinalis Marcello Cervino,  
 qui tamen Cæsari minus acceptus erat.  
 Nec deerant, qui Cardinalem Guisium  
 annis quidem juvenem, meritis tamen  
 magis proVectum nominarent, verum  
 nec hic ceteris placuit.

§. CL.



## §. CL.

Sæcul. XVI;  
A. C. 1549.

*Papam eligendi medium a quibusdam  
propositum, sed ab aliis rejectum.*

Cum ergo res adhuc in incerto hæret, tandem inter Cardinales, qui tres hæc factiones efficiebant, conclusum, ut novem nominarentur Cardinales, quos inter Cæsarei, quemcunque vellent, seligerent. Præprimis Galli proponebant tres, nimirum Lotharingium, Tortonensem, & Bellam; illi vero, qui neutri parti palam favebant, nominarunt Salviatum, Rodolphum, & Traniensem. Ceterum de Montano Cardinale in Papam eligendo frequens per urbem excitata est fama, id spargente Sfortia, qui populum hujus Viri, etsi Cæsareis minus accepti electionem non sine ingenti applausu excepturum noverat. Verum alius quidam Cardinalis non ita pridem a Paulo III. Purpuratorum Collegio adscriptus Guisio Cardinali fuggererat, ut se Montani nominationi opponeret; imo nec his contentus insuper ad Franciæ Legatum perscripsit, quod hic Cardinalis Thiara indignus absque dubio, si Pontificatum obtineret, aperte Cæsari adhæsurus foret, id vero Galliarum Regi ejus Domino permolestum accidere posset. Nihilominus  
Cæsa-



**Sæcul. XVI.** Cæsarei ex novem hisce Cardinalibus  
**A. C. 1549.** nullum eligere decernebant, cum autem  
 Poli electionem promoveri desperarent, in Sfondratum inclinare cæperant; interea vero advenerant Cardinales Galli, qui nationis suæ Viris Pontificatum asserere satagebant: verum eorum molimina successu caruere; quantumvis Cardinalis Guisus nil intentatum relinqueret, ut pro Lotharingio Cardinale Patruo suo quædam colligeret suffragia, hancque ob rem Cardinales natione Gallos, necnon Farnesium sollicitabat, quorum etiam postremus rem in ejus favorem nullo ferme negotio expediendam pollicebatur: Verum Cæsarei hac de re mox edocti tanto rationum pondere Farnesium urgebant, ut huic rei sese ingerere haud ultra vellet.

## §. CLI.

*Rursus de eligendo Salviato actum.*

Cum Sfortia Cardinalis non modo utriusque fratris sui precibus, sed proprio etiam desiderio incitatus Salviatum eligi vehementer optaret, postremos hanc in rem conatus adhibere statuit; quocirca clam suos sollicitabat, eosque præter expectationem magis propensos experiebatur, quinimo Salviatum



tum in Papam esse electum rumor per urbem spargebat, eo tamen fine, ut Farnesio Cardinali exinde molestia crearetur; nec hujus novitatis Auctores optato frustrabantur successu; hinc Farnesius quantocius seniores Cardinales sibi magis addictos adibat, qui ejusdem animum confirmabant, cumque eodem tempore Massæus, & Cornelius intervenirent, una omnes eundem hortabantur, ut contemptis ejusmodi falsis rumoribus certus sit, nullum ipsi haud gratum in Papam fore eligendum: cum ergo Sfortia, ejusque Amici Salviatum spe sua penitus dejectum cernerent, ad alia rursus consilia animum adjece-  
 runt; quapropter Sfortia Farnesium audiens his verbis eum allocutus est, „ omnes Cardinales conclavis protelationem pertæsi sunt, unde timendum, ne illi, qui neutri parti adhærent, nisi brevi tres illæ factiones unanimi consensu quemdam eligerent, juxta arbitrium suum haud consultis etiam tribus factionum capitibus Papam nominaturi sint; non desunt autem plures Cardinales ob meritorum excellentiam clarissimi, atque inter ceteros præcipue Cardinalis S. Marcelli probatæ virtutis Vir, ac vitæ, morumque exemplar: hunc igitur si Farnesius legitime proposuerit, certe pau-  
*Hist. Eccles. Tom. XL.* H „ ci

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1549.



Sæcul. XVI. „ ci admodum sese illi opponent: „  
A. C. 1549. Verum hæc propositio parum placuit  
 Farnesio, cum jamjam Montanum Car-  
 dinalem nominare decrevisset, quam-  
 vis mentem suam Sfortiæ pandere nol-  
 let, quapropter nec eidem certum hac  
 de re responsum dedit.

Proponebatur insuper Cardinalis  
 Ferrariensis Sfortiæ patrocínio sufful-  
 tus, cum vero ille hujus sui amici favo-  
 rem sibi minime proficuum fore cerne-  
 ret, Farnesium accedens dixit: „ nota  
 „ sunt mihi tua in Montanum Cardi-  
 „ nalem studia, tuumque animi propo-  
 „ situm, quo illius electionem promo-  
 „ vere satagis, cum ergo ipse ego i-  
 „ dem mente conceperim, huc veni a  
 „ te percepturus, quid pro optato con-  
 „ filii exitu agere oporteat, „ Farne-  
 sius hoc sermone delusus Ferrariensi  
 Cardinali injunxit, ut ceterorum ani-  
 mos, ac sententias exploraret. Hic rem  
 sibi a Farnesio demandatam exequens  
 cunctos, quibuscum conferebat, in  
 Montanum Cardinalem optime affectos  
 experiebatur, excepto Cardinale Gui-  
 sio, cui longe diversa infederat opi-  
 nio.



## §. CLII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.*Cardinalium consilia de Montano in  
Papam eligendo.*

Cum ergo Sfortia Montani amicus, omnium animos in hunc Cardinalem inclinatos cerneret, ceterorum quoque suffragia eidem procurare cæperat: re autem comperta Guisius Cardinalis Sfortiam allocutus, „ miror, inquit, tuam agendi rationem, qua „ Montanum protegis, cum tamen „ eum antea sæpius lingua, & calamo „ offenderis, & illatæ hujus injuriæ memor esse posset Montanus ad Pontificatum evectus. „ His Guisius plures alias subjunxit rationes, quibus Sfortiam a suo proposito dimovere adlaborabat, præcipue vero eidem hæc exposuit: „ forte successu magis pro- „ spero tuum patrocinium Salviato impenderes, cum hic tibi veteri amicitia, ac sanguinis propinquitate conjunctus sit, si ergo in illius favorem „ operam tuam collocare non renuis, „ ipse quoque cum omnibus eidem adherentibus accedam. „ Ad hæc respondit Sfortia: „ haud immemor sum „ oppositionum, quibus Farnesius Salviati electionem irritam reddidit, omnemque conatum cum vano tem-

H 2

„ poris



Sæc. XVI. „ poris dispendio elusit, nunc vero Mon-  
A.C. 1549. „ tani Cardinalis studia deferere haud  
 „ valeo, defuncti enim Pontificis Nepo-  
 „ ti fidem dedi, me Montano mea præ-  
 „ stitutum obsequia: „ his dictis eodem  
 tempore Guisio suam pollicitus est o-  
 peram, ut in Montani, priusquam in  
 Pontificem eligendus esset, gratiam rur-  
 sus redire posset, cum aliunde incassum  
 sese eidem opponeret.

His Sfortiæ rationibus Guisius Car-  
 dinalis resistendo impar, ejusdem con-  
 siliis acquievit, omnesque Cardinales  
 natione Gallos pariter Montano Cardi-  
 nali suffragaturos promisit, rogavit-  
 que, ut ejus opera Farnesium alloquen-  
 di copiam obtinere posset: Igitur Gui-  
 sius procurante Sfortia clam in Sacello,  
 ubi suffragia colligebantur, cum Far-  
 nesio confert, atque ambo Cardinales  
 præmissa salutatione officiosa, quod hu-  
 cusque inter se sententia discordes  
 fuerint, excusant, tandemque commu-  
 ni suffragio Montanum Cardinalem in  
 Papam eligere decernunt, quinimo mox  
 ibidem illius nominatio fuisset promul-  
 gata, nisi Farnesius temporis spatium  
 sibi indulgere petiisset, ut fidem Cæsa-  
 reis datam revocare posset. Attamen  
 tota res minime tam religioso silen-  
 tio premi poterat, quin plures, quid  
 rei



rei subesset, suspicati Montani cubile Sæcul. XIV. A.C. 1549.  
 accederent, proximam ei dignitatem  
 gratulaturi: re autem comperta Hiero-  
 nymus de Capite-Ferreo Cardinalis,  
 qui Montano parum propensus Cæsaris  
 causam procurabat, mox Cæsareos  
 Cardinales accessit, eisque exposuit, illos  
 male egisse, quod hac de re Cæsaris  
 Ministros non admonuissent, cum ipsorum  
 fuisset, quod electionem ad alteram  
 diem, aut saltem usque ad ejusdem diei  
 vesperam differri postularent, ut & ipse,  
 ejusque amici suis quoque suffragiis  
 accedere potuissent; hac enim via ipsis  
 invitis electionem fuisse factam, nemo  
 credidisset.

§. CLIII.

*Montanus Cardinalis assumpto Ju-  
 lii III. nomine in Papam  
 electus.*

Farnesius, cum ad excludendum Mon-  
 tanum his verbis dolos nefti perti- Ciacon. in vlt-  
 ta Pontif.  
 tom. 3. p. 741.  
 Steid. comm.  
 l. 21. p. 777.  
 mesceret, hæc exponentibus respondit:  
 „ Si vos ad pedis osculum, quod no-  
 „ mine admodum improprio adoratio  
 „ vocatur, accedere renuitis, nihilo-  
 „ minus vobis etiam absentibus, neo-  
 „ electo Pontifici hoc obsequii genus  
 H 3 „ præ-



Sæc. XVI.  
A.C. 1549.

„ præstabitur. „ His dictis mox una cum Amicis suis Massæi cubile accessit, eumque pariter sequebatur Guisus Cardinalis, qui Cæsareos quoque Cardinales eo convenire rogavit, hancque ob rem ad Cardinalem de Burgo sibi oppido vicinum accessit, ac totius rei gestæ seriem eidem exponens eo adiegit, ut cum omnibus ceteris Cardinalibus Cæsari addictis Sacellum adiret: soli tamen remanserant Madrutius, & Paceus Cardinales, quibus quidem absentibus nihilominus Montano Cardinali pro more primæ venerationis obsequium præstabitur. His peractis neoelectus Pontifex declarabat, quod Julii III. nomen assumere vellet in recordationem Julii II., qui ejus Patrum Cardinalitia dignitate decorans etiam ipsimet ad supremos hosce honorum gradus aditum aperiebat; his peractis Neo-electus Papa omnes illos, qui ejus electioni vehementius obluctabantur, teneriori affectu deosculabatur, eosque amplissimis augens favoribus manifeste declarabat, quod nec minimum indignationis vestigium in animo suo conservasset; præcipue enim Ferdinando Gonzagæ Fratri, quamvis antea Montano Episcopatus sui proventus eripuisset, quatuor aureorum millia, quæ

in m. m. m.  
A. 1549.  
A. 1549.  
A. 1549.







**Sæc. XVI.**  
**A C. 1549.**

mum post electionem die, seu vigesima secunda Februarii ab eodem Cardinale Cibo ex Cardinalibus Diaconis primo Tiaram ante Ecclesiæ Vaticanæ fores accepit, ac biduo post vigesima quarta ejusdem Mensis divo Matthiæ Sacra Anno sacro, seu Jubilæo initium fecit, sanctamque Portam aperuit, concurrente pene innumero populo, ac exteris, qui jam per integrum bimestre sacrum hunc ritum celebrari præstolabantur. Hæc Anni sacri festivitas ultra decem Menses perdurabat, intra quod temporis spatium a maximo peregrinantium numero præcipua Romanæ Urbis templa religiose frequentabantur. Ceterum ipse summus Pontifex non nisi D. Petri portam, ceteras vero S. Pauli, S. Joannis, & S. Mariæ Majoris aperiebant Cardinales Archipresbyteri, vel Protectores illarum Ecclesiarum, quas fideles pro obtinenda peccatorum venia obire jubebantur. Insuper neo-electus Pontifex præcepit, ut solitæ ejusmodi veniæ hisce Ecclesiis æque, ac ceteris Romanæ Urbis templis concessæ pristinam suam virtutem conservarent, econtra vero indulgentiæ extra Romam per universum Orbem Christianum aliis Ecclesiis datæ suspenderentur, exceptis illis, quas  
 Socie-



Societatis Jesu Patres recens impetra-  
verant. Sæcul. XVI.  
A.C. 1549.

## §. CLV.

*Indoles Pontificis neo - electi.*

Ceterum novus hic Pontifex Joannes Ciacon. l. c.  
Maria Giocchi Romæ in regione Onuphr. in  
Pariona mediocri admodum gene- Julium III.  
re (\*) in Etruriæ oppido Montis S. Sa-  
bini Diœcesis Aretinæ natus est, atque  
a natalis hujus loci nomine ejus Pa-  
truus Antonius, qui a Julio II. Cardi-  
nalitia dignitate Anno Christi millesimo  
quingentesimo undecimo decoratus fue-  
rat, Cardinalis de Monte appellari vo-  
luit, quod idem nomen etiam Joannes  
Maria adoptavit, isque Vir erat animo  
intrepidus, & constans, ac nulla un-  
quam difficultate fractus, hinc quoque  
prima, quæ ei committebantur, munia  
cum ingenti nominis sui fama explebat,  
cum voluptatibus parum, totum vero  
sefe laboribus dicaret. Postea Triden-  
Apo-

---

(\*) Ciaconius refert, illum natum ex Pa-  
tre Vincentio Jurisconsulto egregio, & Matre  
generis nobilitate illustri.



Sæcul. XVI. tini Concilii Præses, primusque Sedis  
 A.C. 1549. Apostolicæ Legatus renuntiabatur, ac  
 nondum ad Pontificatum evectus tanta  
 severitate omnia pertractabat negotia,  
 ut Cardinales illum ad supremam D. Pe-  
 tri Cathedram elevare reformidarent,  
 quamvis postea ad mitiora descenderet.

## §. CLVI.

*Parmensis Urbs Octavio Farnesio  
 a Pontifice reddita.*

*Pallav. hist.*  
*Conc. Trid.*  
*l. II. c. 7. n. I.*  
*Steidan. l. 21.*  
*p. 777.*

Cum autem Farnesiani potissima ex  
 parte hanc electionem promovis-  
 sent, hinc Pontifex in grati animi testi-  
 monium Parmensem Urbem Octavio red-  
 didit, legi in conclavi impositæ satis-  
 facturus, vi cuius neo - eligendus Pon-  
 tifex hujus urbis restitutionem se factu-  
 rum jurato promittere adstringebatur.  
 Insuper etiam, ut hujus rei executio-  
 nem magis expeditam redderet, pro-  
 prio ære viginti aureorum millia Urfino  
 numerabat, cum Octavius ex suis bo-  
 nis hanc summam pendendo impar ef-  
 fet: Urfinus vero urbem hac conditione  
 non adimpleta restituere recusaret. Ve-  
 rum Placentiam restituere haud po-  
 terat, eo quod Imperator hanc urbem re-  
 tinere decreverat, unde etiam successu  
 tempo-



temporis bellum inter Carolum Imperatorem, & Gallos exarsit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.

§. CLVII.

*Pontificis gloria per unius Cardinalis nominationem labefactata.*

Equidem neo-electus Pontifex parum admodum rebus publicis intentus, integros dies in hortis suis deambulando consumpserat, atque identidem consilia agitabat de ædificandis suburbanis recessibus ad delicias compositis, nihil tamen magis Pontificatus ejus initia dehonestavit, quam prima cujusdam Cardinalis electio; cum enim pro veteri more Pontifex recens electus Cardinalitium Galerum, cuicumque vellet, imponere soleat, suum Julius attributo etiam cognomine, atque insignibus cuidam juveni ad quævis audenda proclivi concessit. Hic nomine Innocentius tam obscuris, ut etiam ipsius generis fama ignoretur, natalibus ortus inter Montani Cardinalis famulos, nonnisi cujusdam simiæ curam sibi demandatam habebat. Hic adolescens patria Placentinus cum eo tempore, quo Montanus Cardinalis ejusdem Urbis Legatus erat, cuidam famulatui sese abdicere quæreret, a præfato Cardinale tanti habitus

*Pallav. l. c.*

*admodum rebus publicis intentus, n. 4.*

*Ciacon. p. 759*

*Raynald. hoc*

*ann. n. 50.*



Sæcul. XVI. habitus est, ut eum literis imbui curaret, A.C. 1549. atque a Balduino Montano fratre suo adoptari juberet; progressu autem temporis hujus Cardinalis benevolentia erga illum adeo excreverat, ut veluti proprium Nepotem suum primo Placentinæ, vel juxta aliorum relationem Aretinæ Ecclesiæ Præpositum nominaret, eumque secum ad Tridentinam urbem deduceret, ubi gravi ægritudine correptus jamjam cum morte luctabatur. Ast laxata morbi vi ex Medicorum consilio Montanus illum mutandi aeris gratia Veronam misit, ubi Innocentius recuperata pristina valetudine sua paulo post Tridentum reversus est. Ea die, qua adventurus sperabatur, Legatus sub deambulationis obtentu quamplurimis stipatus Prælati extra urbem processit, ac forte adventantem insolita lætitiæ, ac benevolentia significatione excepit, dicere solitus, *se hunc adolescentem diligere, tanquam fortunæ suæ fabrum, eo quod Astrologi prædixissent, illum insigni dignitate, magnisque opibus auctum iri, quarum tamen assequendarum spes nulla esset, nisi ipso ad summi Pontificatus fastigium evecto* (\*).

Cardi-

---

(\*) Hæc refert solus Paulus Sarpus, quantæ



Cardinales graviter querebantur, Sæcul. XVI.  
A.C.1549.  
 quod novus Papa adolescentem haud  
 notum, nec generis nobilitate, nec me-  
 ritorum gloria illustrem purpura deco-  
 rasset, præcipue vero Caraffa vehemen-  
 tibus admodum verbis Pontifici hæc  
 exposuit: „ Beatissime Pater totius sa-  
 „ cri Collegii honori labem aspergis, si  
 „ hunc nullius nominis juvenem ad tan-  
 „ tam dignitatem evehis, cum nullo a-  
 „ lio merito, quam tuæ benevolentia  
 „ beneficio clarus, de cetero omnibus  
 „ dotibus ad tantum fastigium requisi-  
 „ tis careat; totius insuper Christiani  
 „ Orbis indignationem tibi accersis, ac  
 „ non nisi proprii tui honoris dispendio  
 „ temetipsum vulgi ludibrio exponis. „  
 Plures adhuc alias rationes proposuit  
 Caraffa, ut Julium ab hoc consilio ab-  
 sterreret, cum vero se operam perdere  
 cerneret, ad Patrum Senatam, in quo  
 Innocentius renuntiandus erat, adire re-  
 nuit, datisque ad Papam literis suam  
 absentiam excusavit. Aliis vero nullius  
 frugis hominem amplissimo Patrum Se-  
 natui obtrudi querentibus non inurbane  
 respondit Pontifex: *Et vos, quid tan-  
 dem in me meritorum comperistis, quem ta-  
 men*

quantæ auctoritatis sit maledicus hic  
 Scriptor, neminem latet.



Sæcul. XVI. *men Christianæ Reipublicæ caput constitui-*  
 A.C. 1549. *sis? (\*)* „Elevemus igitur, prosequer-  
 „ batur Pontifex, hunc adolescentem,  
 „ & dignitatem, quam adipiscitur, me-  
 „ ritis suis illustrabit. „ Referunt non-  
 nulli, quod Innocentius, cum quondam  
 in Cardinalis Montani ædibus simiæ  
 curam gereret, a malevolis quibusdam  
 hominibus vulgo *Cardinalis simia* no-  
 minatus fuerit. Porro ob solutiorem  
 hujus juvenis vitam brevi Pontifex pœ-  
 nitentia tangebatur, quod adeo temere,  
 ac contra omnia decentiæ præce-  
 pta illum purpura hone-  
 staverit.

(\*) Hæc continuator ex proscripto Au-  
 ctore Thuano desloravit, sequentia vero de  
 suo addidit.



HISTO-